DE SERMONE PROPERTIANO

SPECIMEN PRIMUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADOLFUS SPANDAU

ARNSBERGENSIS.

LIPSIAE

TYPIS HESSES ET BECKERI.

MDCCCLXXXVIII.

MATRI CARISSIMAE

SACRUM!

Propertius particulis sermonis quomodo usus sit, quaerere instituí, cum quia sine accurata earum cognitione poetam neque intellegi recte neque emendari posse mihi persuasi, tum quod hanc grammaticae Propertianae partem neglectam fere iacere animadverti.

A disserendi ratione eorum, qui similia scripta confecerunt, duabus rebus discessi. Atque primum nihil antiquius habui, quam ut textus poetae atque interpretatio adiuvarentur.[1]) Deinde, ut utrumque assequerer, quam plurimos poteram poetas cum Propertio comparavi. Qua via criticos atque interpretes prosperrime progredi quamquam inter omnes constat, tamen huic artis criticae necessitati scriptores commentationum Propertianarum parum paruerunt eaque de causa mutatis codicum lectionibus et traiectis eiectisque versibus textum iniuria vexaverunt.

Neque minorem utilitatem ex illa comparatione grammatici et lexicographi capient. Nam praeterquam quod exempla proprietate insignia augentur, res in grammatica latina sive ambiguae sive ignotae nisi negotio poetae, de quo scribitur, cum aliis latinitatis poeticae auctoribus conferendi suscepto in luce efficacius non collocantur.

Caput I.
De coniunctionibus.

A. De coniunctionibus copulativis.

1. Elocutionis formula 'Ac veluti' poetis tantopere erat in deliciis, ut interdum uterentur, etiamsi, sententia, quae illustraretur, praemissa, ad continuandam orationem simplex

[1]) Nihil ad textum et interpretationem contulerunt: Frahnert (zum Sprachgebrauch d. Prop.. Halle 1874-) Kuttner (de elocutione quaest.

particula 'velut' adhibenda esset. Itaque Lachmannus, ut vocula 'ac' deleretur, in vs II 3, 47[1]) 'hei mihi si quis,

Acrius ut moriar, venerit alter amor!
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit adsueto mollis ad arva iugo:
Sic primo iuvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti .. iniqua ferunt'.

frustra scripturam 'En veluti' proposuit. Iam Hauptius[2]) monuit, non diligentius versatos esse poetas in usu formulae 'atque etiam'. Sed exempla inveniuntur, quae magis Lachmanni sententiam redarguant. Cf. Ovid. Trist. II 149

'Spes mihi magna subit .. Spes ... cadit.
Ac veluti ventis agitantibus aëra non est
Aequalis rabies .. sed modo subsidunt ..
Sic .. timores .. spem placandi dantque negantque tui.'

Verg. Geor. IV 170 'Fervet opus ..
Ac veluti .. Cyclopes .. properant ..
Non aliter .. apes amor urget habendi'.[3])

Quin etiam Vergilius alterum similitudinis membrum a demonstrativa particula inductum bis, quod viderim, omisit. Aen. II 626

'Tum .. mihi visum considere in ignes Ilium ...
Ac veluti .. ornum .. instant Eruere agricolae
.. illa ... nutat .. donec .. evicta ..
Congemuit traxitque iugis avolsa ruinam'. IV 402
'Migrantis cernas totaque ex urbe ruentis.
Ac velut ... formicae farris acervum .. populant ...'

In aliis autem enuntiatis voculae 'ac velut' separandae sunt. Cuiusmodi exemplum invenitur ap. Prop. III 15, 31

Hal. 78). Schneemann (de verborum cum praep. comp. apud Cat. Tib. Prop. structura, Hal. 81). Wolff (de enuntiatis interrog. ap. Cat. Tib. Prop. Hal. 83). Heymann (In Prop. quaest. gram. et orthogr. Hal. 83). Hoerle (De casuum usu Prop. Hal. 87).

[1]) Hauptii editio nuper (1885) a Vahleno curata a me ita usurpata est, ut in adscribendis versibus vetus librorum pártitio retineretur.

[2]) Haupt, opusc. I p. 111.

[3]) Cfr. Ladewig ad h. l. et de re, quae nunc exponitur, Forbig. ad Verg. Aen. VI 707.

ubi Baehrens sicut in versu a Lachmanno tentato e codice Flor. restitutum voluit 'At veluti'. Sed contraria sententia ibi vix cognoscitur, nedum formula 'at velut' ab ullo poeta usurpata sit.

2. De coniunctione 'et' secundo atque tertio loco collocata Hauptius[1]) diligenter exposuit. De elocutione 'fors et' (i. e. viell. auch II 9, 1) Handium[2]) adeas velim.

3. Imperativum verbi eundi cum insequenti imperativo plerumque particula 'et' intercedente Propertius coniungit. IV 5, 46 'I comes et voces .. iunge tuas'. III 4, 10 'Ite et Romanae consulite historiae'. 7, 29; 23, 23. II 29, 22 'I nunc et noctes disce manere domi'. I 9, 13 'I quaeso et ... istos compone libellos'.

Nusquam inveni, quod Baehrens II 12, 18 proposuit 'I puer, en alio, traice tela tua'. ubi Vaticani correctorem sequi malo, qui habet 'Si pudor est, alio' (codd. 'puer'). Cfr. Ov. Am. III 2, 23 'Si pudor est, rigido nec preme'. Mart. III 87, 4 'Si pudor est, transfer'. II 37, 10. III, 74, 5. Iuven. III 154. Omisit autem coniunctionem Propertius III 18, 17

'I nunc, tolle animos et tecum finge triumphos'.

quibus simillima habet Ovidius Her. IX 105

'I nunc, tolle animos et fortia gesta recense'.

Am. I 7, 35 'I nunc, magnificos victor molire triumphos'.

4. Duae actiones, quarum altera alteram proxime sequi narratur, vocula 'et' copulantur. II 29, 10 'Dixit, et in collo iam mihi nodus erat'. 29, 39. III 3, 25 'Dixerat, et sedem mihi monstrat'. IV, 4, 67; 4, 91; 6, 55; 10, 16.

Quo usu poeta commotus est, ut paulo audacius scriberet IV 9, 21 'Dixerat, et sicco torret sitis ora palato'. i. e. sentit sitim torrere ora.

5. Certo temporis momento indicato, quod factum est, particula 'et' adiungitur: III 16, 1 'Nox media, et dominae mihi venit epistola'. II 29, 23 'Mane erat, et volui .. Visere'. Ov. Her. XII 62 'Mane erat, et .. Invenit'. XIV 79.

---

1) Haupt, opusc. I 122. Deest vs. III 18, 3 'Qua iacet et'.

2) Hand (Tursellinus s. de particulis lat. 4 vol. 1829—45) II p. 712.

6. In particula 'et' maiorem vim inesse, ut ad accuratius interpretandum elocutiones 'et tamen' 'et profecto' aliaeque sint adhibendae, notum est.[1])

In vs. IV 4, 63 'Et iam quarta canit venturam bucina lucem' (i. e. Et — ecce. Baehr. male 'En iam') L. Mueller ex Luetiohanni (comm. Pr. p. 17) coniectura 'Sed iam' scribens sibi non constitit, quoniam Lachmanni correctionem repudiaverat in versu II 30, 11 'tollere nunquam (Amor)

Te patietur humo lumina capta semel.
Sed iam si pecces, deus exorabilis illest'.

Quo in enuntiato codicum lectionem 'Et iam' i. e. 'Et — tamen' servandam esse ante me Hertzbergius affirmavit atque utroque loco codicum auctoritas ab Hauptio Vahlenoque recte observata, eo firmatur, quod Propertium ubique posuisse 'Et iam' animadverti. Cfr. I 20, 19. II 28, 37; 29, 20.

Eadem vis particulae 'et' in percontatione aut in exclamatione positae tribuenda est. Prop. I 15, 37 'Et contra magnum potes hos (ocellos) attollere solem Nec tremis?' i. e. Et — tamen.

IV 4, 17 'Et satis una malae potuit mors esse puellae,
Quae voluit flammas fallere, Vesta, tuas?'

i. e. Et — profecto.

I 17, 1 'Et merito, quoniam potui fugisse puellam!
i. e. 'Et profecto' eademque particula significatur, poetam alia omisisse, quae praemittere posset. Cfr. quae de vocabulis 'ergo' et 'sed' disserui p. 22. Ov. Am. III 8, 1 'Et quisquam ingenuas etiamnunc suscipit artes?'

III 3, 33. Her. III 115. Met. IX 203. XII 470. Lygd. 4, 9. Verg. Aen. VI 806. Alios locos vd. ap. Hand. II p. 493. De Prop. vs. II 27, 1 'Et vos incertam, mortales, funeris horam Quaeritis'. examines velim, quae disputavi p. 18.

7. Praesertim negatione praemissa contrarias sententias, quales nobis esse videantur, vel ab optimis sermonis prosaici scriptoribus particulae copulativae auxilio adiunctas esse inter omnes constat. Cui loquendi mori cum poetae

---

[1]) Cfr. Naegelsbach, Lat. Stilistik 616.

faverint atque hac ratione vocula 'at' perraro usurpata appareat, Lachmannus ex codice Gron. pro 'at' coniunctionem 'et' summo iure recepit in vs. I 6, 22

'Nam tua non aetas unquam cessavit amori,
Semper et armatae cura fuit patriae'.

Contra Hertzbg. et Baehrens lectionem 'at' servaverunt. Quodsi ille uno Vergilii loco nititur, ubi poeta propter sequentes particulas copulativas atque in sententia amplificata voculam 'et' pro 'at' scribere vix potuit — ipse videas (Georg. III 522)

'Non umbrae .. non mollia possunt
Prata movere animum, non .. amnis; at ima
Solvuntur latera atque oculos stupor urget inertis
Ad terramque fluit devexo pondere cervix'.

— ego appono haec Propertii ipsius exempla. III 24, 11

'Haec ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa
Naufragus Aegaea vera fatebor aqua'.

Pro vocula 'et' noster 'sed' posuit in enuntiato similiter formato I 8, 39

'Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio'.

Neque tamen contenderim, poetam metro cogente altero loco particulam 'et' usurpasse. De verbo 'fatebor' moneo, si per nostrum 'ich will gestehen' vertatur, eius traditam formam in 'fatebar' a criticis iniuria mutatam esse. Denique quid sibi velit Baehrentis mutatio vocis 'ipsa' in 'ipse', non intellegitur. — De secundo loco, ubi particulam 'et' ad notionem adversativam accedere animadvertitur, I 16, 11

'Nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
Turpior et saecli vivere luxuria'.

Lachmannus, postquam velut pannum reiecit, Jacobo assensus est, qui illud enuntiatum parenthesi incluserat. Tamen Hauptius[1]) eis obiecit, duos infinitivos vocula 'et' propter verbum 'revocatur' non posse copulari, sed potius 'nec' requiri, ut Lachmannus probe intellexisset. Itaque 'it',

---

[1]) Cfr. Haupt, opusc. I p. 123.

non 'et' a poeta fortasse scriptum esse. At alio modo dicitur 'Ibat videre' (Prop. I 1, 12) et 'carpere (pontum) remis Ibis' (I 6, 33) atque 'it vivere', quam ob rem haec coniectura doctis non magis placuit, quam interpretatio Hertzbergii, qui ad figuram zeugmatis confugerat. Ne Mueller quidem recte iudicasse mihi videtur, cum fieri vix possit, ut a verbo 'parcere' et dativus 'famae' pendeat et infinitivus 'vivere'. Denique Fonteinii, Madvigii Baehrentisque scripturam 'Purior et' esse inutilem ratus exponam, qualis sit illorum verborum conformatio. Nam adhibita ἀπὸ κοινοῦ figura[1]) ex negativo membro in alteram sententiae partem verbum revocandi transfero: nec revocatur parcere . . et (= sed) revocatur vivere.

Quae res ut illustretur, alterum adscribo exemplum, quo nullum similius requiratur. Etenim codicibus inter se consentientibus Propertium videmus locutum esse IV 1, 19

'Nulli cura fuit externos quaerere divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro,
Annuaque accenso celebrare Parilia faeno'.

Quo loco verbum 'celebrare' esse infinitivum Lachmannus ipse monuit. Tamen nexu carminis desperato ut coniecturam 'Annua at' ab Hauptio Vahlenoque susceptam fecerit, inde accidisse videtur, quod cum altero alteri loco summam similitudinem esse praetervidit.

Ergo elucet, in omnibus quatuor versibus coniunctionem copulativam, quae accedat ad particulam 'sed', retinendam esse.

Restat, ut adiungam enuntiatum 'Nec tamen . . revocatur etsq.' propter sequens distichon 'Has (noctes) inter' aut parenthesi includendum, aut, id quod in Vahleni editione factum est, in carminis fine ponendum esse.

8. Vulgaris particularum 'nec — et (que)' responsio invenitur: IV 5, 3:

---

[1]) Quae attuli, duo exempla Akenium effugerunt. Cuius in libello (De figurae ἀπὸ κοινοῦ usu apud Cat. Tib. Prop. Schwerin. Progr. 1884) alia invenies.

'Nec sedeant cineri manes et Cerberus . . terreat ossa'. 7, 25 'Nec crepuit . . custos Laesit et . . tegula . . caput'. 8, 43 'neque . . constabat flamma . . Reccidit inque . . mensa pedes'.

Pro ordine 'et — et' se offert 'que — que' III 7, 6. 66. 11, 28. IV 8, 61; 4, 87; 9, 45.

In duplici relativo enuntiato illud raro inveni. Prop. I 2, 30

'Omnia quaeque Venus quaeque Minerva probat'. Pan. Mess. 36.

Coniunctio 'que' secundo versus vocabulo adnexa est: III 25, 15 'Exclusa inque vicem'. IV 8, 44 'Reccidit inque'. II 28, 45 'Ante tuosque'.

Ad tertium vocabulum particula est applicata: II 20, 12 'Ferratam Danaes transiliamque domum'. 32, 14 'Flumina sopito quaeque . . cadunt'.

9. Negationis vis ad sequentem particulam 'et' (vel 'que') pertinere iubetur: II 1, 22 'canerem Non Ossan . .

Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri

Xerxis et imperio bina coisse vada'. III 9, 40. 11, 56 "Non . . . fui tanto tibi cive verenda' Dixit 'et adsiduo lingua sepulta mero".

10. Collato Vergilio etsi Lachmannus (p. 365) quibusdam locis voculam 'nec' in 'neque' mutaverat, tamen nemo aliorum criticorum, qui codicum auctoritatem pluris aestimabant, eius rationem secutus est. Neque vero non illorum lectiones textu Vergilii ipso defenduntur. Nam Ribbeckius sibi mutandum esse nequaquam censuit: Aen. IV 529 'nec unquam' = Prop. II 26, 53. Praeterea Ovidius fere sic loquitur. Deinde Aen. II 432 et 467 'nec ullus' = Prop. IV 11, 41. Aen. II 430 'nec Apollinis' = Prop. III 3, 42 'nec Aonium'. Denique Prop. IV 5, 50 'nec attrita' particulam immutari non est necesse, cum 'nec adhuc', quae elocutio a Lachmanno reiecta est, persaepe praeter 'neque adhuc' appareat ap. Ovidium. Cfr. Met. I 132. X 255. Her. XII 141. Rem. 123. Fast. V 423.

11. Versibus, qui voculam 'nec' secundo loco positam

exhibent, praetermissis eos locos, ubi 'nec' tertia vox invenitur, in medium proferam. III 10, 10; 22, 28. IV 5, 55. Cfr. Tib. I 8, 4. Paneg. 200. Ovid. Am. III 12, 42; 9, 42. Her. XVII 212. Trist. IV 2, 62. II 414; 466. Ex Ponto III 3, 104; 3, 42. IV 10, 70; 14, 34. 40; Verg. Aen. II 159.

In quartum locum particula remota est: Prop. II 6, 3. IV 11, 94. Cfr. Ov. Her. XVII 6. Trist. III 13, 24.

12. 'Nec' particulae ita usurpatae, ut negatio ad unam notionem pertineat, haec Propertius habet exempla.

I 20, 14 'Nec tibi sit . . montes et frigida saxa . . neque expertos . . adire lacus'. i. e. et non expertos.

III 25, 10 'Limina iam valeant . . Nec tamen irata ianua fracta manu'. i. e. et ianua non fracta, quamquam irata erat manus.

IV 7, 13 'Perfide nec cuiquam melior sperande puellae'.

IV 3, 15; 7, 66. II 3, 6; 26, 53; 28, 52. I 10, 18.

13. Neque Horatio[1]) solum, sed etiam Ovidio (Trist. II 495. Ex Ponto IV 13, 5) coniunctionem 'nec' pro 'ne quidem' acceptam usui fuisse Ribbeckius[2]) monuit. Notis exemplis addere iuvat. Tib. I 8, 57

'Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum'.

Ov. Met. XI 471 'Vela tamen spectat . . Ut nec vela videt, vacuum petit . . lectum'.

Her. XVI 233 'Tale nihil timeo. Sed nec Medea timebat'.

Ex Ponto IV 8, 79. Met. IV 153. Fast. VI 167; 298. Juven. XI 7. XIII 211. III. 90. II 152. Mart. II 63, 1; 75, 4; 34, 4; 6.

Ut igitur Horatius loco, quem supra adscripsi, voculam 'nec' initio enuntiati posuit ('nec nunc . . Accedam?), ita hanc vim particulae, si cogitationem accuratius reddere curabimus, his Propertii locis tribuemus: II 29, 26

'Obstipui: non illa mihi formosior unquam
Visa neque ostrina cum fuit in tunica'. III, 14, 30

---

1) Sat. II 3, 262. Cfr. Keller, Epileg. Horat. p. 551.

2) Ribbeck, Beiträge zur Lehre von d. lat. Partik. p. 25.

'At nostra ingenti vadit circumdata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via'.

14. Atque etiam Catullum, Tibullum, Propertium Ovidium videbis voculam 'nec' pro 'non' usurpasse, quem dicendi usum veterrimis comoediae scriptoribus solis Draeger[1] inspecto Ribbeckii libello non concessisset. Jam Handius (IV 97) vs. Verg. Ecl. IX 6 'quod nec vertat bene' attulerat. Praeter eum Ribbeckius l. c. illam proprietatem Catullo (64, 83) et Ciris scriptori adiudicavit. Observa nunc vs. Prop. II 24, 37

'Certus eras heu heu, quamvis nec sanguine avito
Nobilis, et quamvis haut ita dives eras'.

iam mecum consenties in eo, quod 'nec' nullam habet vocis contentionem, sed verbis 'haut ita' respondet.

Similia praebet Ovidius exempla. III 10 13

,Nix iacet, et iactam nec sol pluviaeve resolvunt,
Indurat boreas perpetuamque facit'.

10, 43

'Tum neque se pandi possunt delphines in auras
Tollere; conantes dura coercet hiems'.

Jam in Metam. libris utrum hanc scribendi licentiam sibi sumpserit poeta, necne, certe existimari non potest. Nam corrupto codicis Marc. loco IX 248 nescio an Kornius 'ne — paveant, istas despernite flammas' rectius correxerit.

Catullum autem primum hanc comicorum consuetudinem secutum esse affirmo, non commotus illo versu 64, 83 ab aliis aliter intellecto, sed loco 30, 4

'Nec facta impia fallacum hominum caeliocolis placent'.

Nequaquam hanc codicum lectionem Baehrens ('Nunc') et Riese ('Non') mutassent, nisi a Draegero, quem laudaverunt, a recta via abducti essent.

Quibus reputatis quis dubitet, quin illa coniunctionis vis agnoscenda sit ap. Tib. I 6, 45?

'Haec ubi Bellonae motu est agitata nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet'.

---

[1]) Draeger, Histor. Syntax der lat. Sprache. 2. Auflage 1881. II, p. 67.

15. Versus, ubi vocula 'nec' optatum[1]) vel iussum[2]) negat, infra enumeravi. Restat, ut mentionem faciam consecutionis 'nec — neve'. Praeter versum Pr, I 8. 11

,Nec tibi ... solvatur funis harena,
Neve inimica meas elevet aura preces'.

Handius (IV p. 179) unum Verg. georg III 435 locum protulit, ubi Ribbeckius tamen 'ne — neve' e suis codicibus legit. Ovidii Trist. I 1, 11 exemplum ad lectionem Verg. defendendam ab aliis iam allatum his duobus locis augeo. Ov. Rem. 627 'Nec quae ferre solet spatiantem porticus illam
Te ferat, officium neve colatur idem'.

Juven. XIV 201 'nec te fastidia .... subeant .. Neu credas'.

B. De coniunctionibus disiunctivis.

1. Digna, quae restituatur, librorum scriptorum lectio est v. IV 1, 75 'Certa feram certis auctoribus: aut ego vates
Nescius aerata signa movere pila'.

ubi critici 'haud' pro 'aut' ex Italorum correctione scripserunt. Sed praeterquam quod talia exclamare vatem melius decet (nam vide vs. 'Mentior? an patriae tangitur ora tuae'?), in duobus enuntiatis, quibus maxima similitudo cum loco Propertiano est, voculam 'aut' inveni. Juno enim dicit ap. Verg. Aen. X 630 'Nunc manet insontem gravis exitus, aut ego veri Vana feror'. Atque Hor. Epist. III 42
'Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor'.

Observes velim verba 'aut ego' vel in eodem pede versus posita.

Neque minus codicum auctoritatem plurimum valere existimo in vs. II. 24, 4

'Cui non his verbis adspergat tempora sudor?
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor'.

ubi Hauptii mutatio vocum 'aut' in 'haut' nec necessaria nec recta fuit. Nam si is, qui Propertium adloquitur, usus

---

1) Cfr. I 1, 36; 4, 28; 9, 25. II 18, 37; 20, 33; 28, 47. III 15, 2; 20, 29; IV 11, 94; 5, 3; 41; 49; 6, 47.

2) III 10, 16. IV 7, 87. 11, 89.

esset verbis 'non ingenuos pudet, non eis amor reticendus (est)', aliquid novi atque inauditi proposuisset. Quae cum ita sint, accipe, quam sententiam sub traditis voculis 'aut' subiciam. Edito libello Propertius fabula subito factus est eodem modo atque Horatius (Ep. XI 7 'per urbem, nam pudet tanti mali, Fabula quanta fui, conviviorum et paenitet'). Sed tantum abest, ut noster poeta, sicut Horatius, rem ita se habere liberrime confiteatur, ut sermonem levare studeat. Itaque ei obicitur, sese neutiquam obtinere antiquam amoris rationem, quae sit 'aut pudor ingenuus (freimütiges Sch.), aut reticendus amor' (ein Verschweigen des Liebesverh.) Quodsi in extrema vocis 'ingenuus' syllaba offendis, Hauptii mutationem 'ingenuis' probes licebit. Neque enim illa interpretationi meae nocebit[1]); nisi quod, cum talis sententiae habitus postulet, ut copula 'est' suppleatur, vigor orationis Propertianae aliquantum minuetur. Ut ego in librorum scriptorum lectione perseverarem, inde factum est, quod noster poeta in eodem pentametri pede formam verbi vincendi posuit II 8 8 'Vinceris aut vincis, haec'.[2])

At nequaquam Lachm. illum versum ab interpolatore profectum esse recte iudicavit. Etenim formae verbi 'esse' non hic solum repudiatae, sed etiam III 13, 61

'Certa loquor, sed nulla fides: neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis maenas habenda malis'.

testantur, talismodi structuras Propertii proprias esse.

Hauptii sententiam reliqui critici secuti sunt. Baehrens quidem 'aut' retinuit, verum ,ingenuis' atque nulla necessitate cogente 'retinendus' scripsit.

2. Cum complures locos, ubi negativi vocabuli vim ad sequentes voculas 'aut' et 've' pertinere apertum est, iam Vahlenus[3]) attulerit, relinquitur, ut hi commemorentur:

---

[1]) Nam hic quoque verbis 'Cui non . . adspergat tempora sudor?' respectis interpretor 'Aut pudor mendacii ingenuis (est), aut'. Aliter locum Paley, cuius in editione (London 1872) perraro invenitur quidquam novi, intellexit 'Aut pudor talis (turpis) amoris ingenuis est, aut'.

[2]) De aliis verbis, quorum ultima syllaba in hac pentametri parte producta apparet, te docebit Mueller, de re metr. p. 331.

[3]) Cfr. Vahlen, Monatsber. d. Akad. d. Wiss. zu Berlin 1881. p. 337,

I 11, 22 'non maior custodia matris
Aut sine te vitae cura sit ulla meae'.

II 13, 50; 34, 40. II 17, 16
'Nec licet in triviis . . requiescere luna,
Aut per rimosas mittere verba fores'.

28, 57. III 3, 43. IV 1, 104. IV 3, 64 'Ne — ve'. II 1, 23 'non — ve — aut'.

3. Minus notum est etiam 'vel' particulam hac ratione usurpatam esse. Etenim vs I, 14, 24 'non ulla verebor
Regna vel Alcinoi munera despicere'.

Lachmanuus, cum Latinos tali modo particulas coniunxisse negaret, scripturam codicis Gron. 'nec' pro 'vel' receperat, Mueller autem 'aut' scripserat. Rectissime igitur codicis Neap. lectionem restistuerunt Baehrens et Vahlenus[1]), qui exegit eam ad exemplum Tibulliani versus I 9, 60
'Nec . . soror dicatur plura bibisse
Pocula vel plures emeruisse viros'.

qua de scriptura a Lachmanno dubitatum erat. Praeterea Vahlenus attulit versum Claudiani de rap. Pros. III 28 'neque enim livescere fas est Vel nocuisse deos'. Sed iam Ovid. Art. am. III 204 habet
'Nec pudor est oculos tenui signare favilla
Vel prope te nato, lucide Cydne, croco'.

Porro dixerunt Hor. IV 9, 22 'non ferox Hector vel acer Deiphobus graves Excepit ictus'. et Mart. VII 14, 5
'Non quales . . ploravit amica Catulli . .
Vel Stellae cantata meo quas flevit Janthis'.

XIV 11, 1 'Turbam non habet otiosiorem Pompeius vel Agenoris puella'.

III 2, 5 'Ne . . raptus in culinam Cordylas . . tegas .
Vel turis piperisve sis cucullus. VI 50, 6. XIV 84. 1.

4. Si non multa, at apta ad persuadendum testimonia nos docent de particularum serie 'vel — aut'. Nam ne hanc quidem Lachmannus latinitati concessit eaque de causa vetuit, sedem habere distichon III 21, 25:

---

[1]) Vahlen, ibidem p. 338.

'Illic vel studiis[1]) animum emendare Platonis
Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis.
Persequar aut studium linguae . . .'

Mueller et Baehrens 'aut' pro 'vel' posuerunt, cum Hertzbergius sententiam Handii secutus voculae 'vel' intensivam vim tribuerit. At quid tam mirum, si poeta Athenis philosophiae studio sese daturus est? Lachmannus igitur illud distichon ab interpolatore profectum esse putat. At is cur non 'aut' malebat scribere, cum praesertim 'vel' ponere metro non cogeretur? Porro Lachmannus et H. Keilius[2]) longa disputatione consecutionem 'aut — vel' tractaverunt, sed de responsione 'vel — aut' non multa disseruerunt.

Nunc considera mecum locum Ov. Met. XV 600

'vos urbe virum prohibete, Quirites,
Vel, si dignus erit, gravibus vincite catenis,
Aut finite metum fatalis morte tyranni'.

iam concedes, alterum membrum a particula 'aut' inductum non, ut Kuehner[3]) arbitratur, enuntiato 'vos urbe sqq' respondere neque alterum membrum, quod a vocula 'vel' incipit, ab illa sententia 'vos urbe sqq.' pendere posse.

Versus Ov. Ibid. 297 et 469 etsi sententia eorum a vocula 'vel' incipit, non adscribam, quia poeta in illo carmine coniunctiones 'aut' et 'vel' nimis variavit eaque de causa minorem habet auctoritatem. Quid quod Horatius particulas disiunctivas promiscue usurpavit Carm. I 7, 1? Magis autem apposite ad persuasionem locuti sunt Juven. III 120 'ubi regnat Protogenes aliquis vel Diphilus aut Hermarchus'. atque Statius III 5, 20 'et si gelidas irem mansurus ad Arctos Vel super Hesperiae vada caligantia Thules Aut septemgemini caput impenetrabile Nili, Partirere vias'.

Quibus in duobus enuntiatis utrum sententiae membrum, quod a particula disiunctiva vacat, coniunctionibus 'vel — aut' antecedat, necne, nihil refert. Nam talia exempla et Lachm. in disputanda consecutione 'aut — vel' notavit.

1) 'stadiis' Broukh. et Mueller melius scripserunt.
2) Keil, quaest. crit. in Prop. p. 47.
3) Kuehner II 712.

Transeo ad vs. II, 2, 6 'incedit vel Jove digna soror,
Aut cum Munychias Pallas spatiatur ad aras'.

ubi Lachmanno et Hertzbergio sororem intellegendam esse Cynthiam atque voculae 'vel' intensivam vim imponendam ratis idcirco assentior, quod noster poeta particulam 'vel' pro vocabulo 'adeo' acceptam cum nomine Jovis coniungere solet. Hertzbergii autem opinioni, omnia esse expedita, si 'Ut cum' pro 'Aut cum' legeretur, haec exempla oppono. Ov. am. II. 5, 37 'Quale rosae fulgent .. Aut ubi cantatis luna laborat equis, Aut quod .. Maeonis Assyrium femina tinxit ebur'. Met. VII 107. Ergo structura, de qua agitur, haec est 'incedit .. soror (i. e. als eine) aut Pallas cum spatiatur'.

5. Apud Prop. II 32, 5 codex Neap. tradit

'Curva te Herculeum deportant esseda Tibur'? Lectio autem codicis Gron. 'Cur vatem Herc.' commendat correctionem 'Curve te in Herc.' Praeterea hanc scripturam fulcio simillimo Martialis loco IV 62, 1

'Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris'.

Itaque Mueller iniuria scripsisse videtur 'Cur aut te Herc.', praesertim cum litterae 'e' synaloepham, in qua offenderat, inveniri apud Prop. IV 1, 36 ipse testetur. Neque minus reicienda esse censeo, quae in Baehrentis editione leguntur 'Cur tua te Herc.'

6. De 'sive' particula Draeger paulo accuratius disseruit. Tamen ut rem iterum tractem, variis commoveor causis.

a) Praeter ‚sive — sive' (septem locis) et 'seu — seu' (tribus locis) Propertius consecutionem 'sive — seu' adhibuit: I 8, 44; 14, 9. II 22, 5. III 11, 72; 21, 30. IV 3, 59. Sed eo, quod usum 'seu — sive' tantum bis eumque ne aliter quidem, quam post praecedentem voculam 'seu' (II 1, 15; 53) secutus est, ab aliis elegiae poetis aliquanto differt.

b) Coniunctio 'sive' condicionalem sententiam continuat II 22, 8 et IV 5, 21. Paulo difficilior intellectu est particula 'seu', cum quia longius abest a vocula 'si' tum quod poeta in enuntiato a voce 'seu' coepto ad aliam poematis partem transiit. Tamen cognoscemus responsionem utriusque coniunctionis, si rem accuratius consideraverimus. Namque Pro-

pertius, postquam in altero vs. II 26 B, 3

'Non, si .. redeant et flumina Croesi
Dicat "de nostro surge, poeta, toro".

amatae fidem descripsit, in altero vs. 9

'Seu mare per longum mea cogitet ire puella, Hanc sequar . . .' ad sese devertit, ut exponeret, se summa permotum constantia maxima pericula cum amata subiturum esse.

c) In alterutro enuntiati membro particulam 'sive' ab Horatio primo positam esse Draeger (II 147) perperam affirmavit. Jam Ennius Ann. 457 habet 'tibi vita seu mors in vita est' atque post eum Catullus scripsit 4, 19 'laeva sive dextera Vocaret aura'. Locum Prop. II 26, 34 Draeger laudavit.

d) Singulare sententiae membrum 'sive' particula elegiaci poetae raro adiunxerunt (Cfr. Ov. Trist. I 3, 89; Catull. 82, 4) neque quisquam praeter Propertium, quod sciam, formulam 'seu quia' admisit. IV 10, 47; 2, 11

'At postquam ille .. concessit alumnis
Vertumnus verso dicor ab amne deus.
Seu quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni vulgus credidit esse sacrum'.

e) In protasi, quam integra sequitur apodosis, 'seu' invenitur III 21, 8

'Seu venit extremo dormit amicta toro'. Prop. IV 6, 81 'Sive . . . pharetris .. parcet eois, Differat'.

Ap. Prop. III 21, 31

'Aut spatia annorum aut longa intervalla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore'.

Baehrentem pro 'seu' voculam 'sic' non scripturum fuisse existimo, si priori 'aut' posteriorem particulam 'aut' opposuisset. Nam poeta, postquam sese in posterum ab amore liberatum victurum esse praedicavit, mutata voce submisse pergit 'Seu moriar, moriar fato'. Sperat, ut breviter dicam, illum amorem neque vitam neque mortem moturum esse.

C. De coniunctionibus adversativis.

1. Particulam 'at' poetae rarius, quam 'sed' postposuerunt. Cuiusmodi locis ab Handio I 442 depromptis ex Hor. Stat. Flaccoque hos addere invat. Cat. 64, 43, 58. Ov. ex Ponto IV 9, 23. Verg. Ecl. X 31. VIII 49. VII 67. Aen. VII 500. XI 753. Georg. III 331. Horat. Sat. I 2, 47. Prop. IV 1, 95; 10, 23. Discessit Propertius a ceterorum poetarum usu, quod semel tantum voculam 'sed' postposuit I 4, 11.

2. In versus fine omnes poetae elocutioni 'at ille' faverunt, quocirca lectionem codicum, etiamsi Lachmannus an melius 'et' scribendum esset, dubitaverat, recentiores recte receperunt. Praeter locos IV 4, 15 et IV 7, 11 iam ab Handio laudatos adscribam hos. II 26, 49

'Jam deus amplexu votum persolvit: at illi
Aurea divinas urna profudit aquas'. Cfr. Pr. III 3, 36.

Neque causam video, cur plerique critici scripturam optime traditam neglexerint vs. II 29, 11

'Hic alter iubet in medium propellere, at alter'.

Nam cum Horatius non spreverit in extremo versu 'et alter', Ovidius et Propertius formula 'at alter' sola usi sunt. Met. IV 614

'Impositus iam caelo est alter: at alter'. XI 638
,sed hic . . . homines imitatur: at alter'.

3. Synaloepha coactos poetas etiam 'sed ille' in versus exitu posuisse haec exempla docebunt. Prop. I 20, 49

'Prolapsum leviter facili traxere liquore:
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa: sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert'.

Vahlenus et Mueller correctionem Hauptii 'iterat, responset: at illi' receperunt. Adductus autem Hauptius est ad coniecturam suam, quod 'sonitum' de Hylae clamore intellegi Lachmannus non concessit. Minus recte, si quidem similis exstat Vergilii locus Georg. IV 333, ubi poeta, postquam Aristaeum fecit querentem, pergit 'At mater sonitum thalamo sub fluminis alti Sensit'.

Porro de synaloepha quod dixi, his demonstretur locis. Verg. Geor. I 225

'Multi ante occasum Maiae coepere; sed illos Exspectata seges .. elusit'. Contra idem poeta septies 'at ille' dixit. Horatius etsi in satiris et epistolis fere 'at ille' posuit, tamen habet Sat. I 10, 63

'Fuerit Lucilius .. limatior .. sed ille'. Sat. II 8, 79

'Nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
Redde, age, quae deinceps risisti'.

Tum Ovidius, qui illud pronomen cum vocula 'at' coniungere solet, formulam 'sed ille' adhibuit vs. Fast. II 599

'Forte fuit nais, Lara nomine; prima sed illi Dicta bis antiquum syllaba nomen erat'. Denique omnes, qui Tibullum bene noverunt, mihi assentientur, poetam sicut I 9, 11

'Muneribus meus est captus puer; at deus illa In cinerem .. vertat'. scripserit, ita II 6, 27

'Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa'. delecturum fuisse voculam 'at', nisi ut 'sed' poneret, synaloepha commotus esset.

Vides igitur codicum Prop. lectionem recte traditam esse.

4. Epici poetae ad continuandam orationem particulam 'at' initio libri posuerunt (Verg. Aen. IV 1. Ov. Met. IV 1). Aliorum carminum auctores primum locum voculae 'at' concesserunt in his exemplis: Ov. Am. III 7, 1

'At non formosa est, at non bene culta puella,
At, puto, non votis saepe petita meis?'

Hor. Ep. 5, 1 'At o deorum quidquid in coelo regit ..?'

Priap. 80, 1. 78, 1 'At di .. dentibus tuis escam Negent!'

Quibus enuntiatis lectis nos a poeta admiratione vel indignatione commoto in media re subito repositos esse sentiemus atque coniunctioni 'At' acerrimam vim attribuemus. Ab eodem vocabulo poetas coepisse quietum carmen comperiri posset, nisi Vahlenus aliud distichon ante vs. Ov. Her. XII 1

'At tibi Colchorum .. memini .. regina vacavi'. excidisse statuisset in libello, qui inscribitur die Anfänge der Heroiden p. 9. Cfr. et Sedlmayer, Her. 1886.

Ergo, quia simile deest exemplum, non quod Lachmannus particulam 'at' quidquam aliud, quam indignationem significare negaverat, mihi persuasi, a Propertio scriptum esse

vs. II 27, 1 'Et vos incertam, mortales, funeris horam
Quaeritis, et qua sit mors aditura via'.

Huc accedit, quod sententiae gravitas non in voce 'At' sive 'Et' inest, sed potius consistit in pronomine 'vos', cui opposita sunt verba 'Solus amans novit' vs. 11.

Quodsi recte disputavi de usu coniunctionis 'At', ne Heydenreichii[1]) quidem coniectura 'At' opus est vs. II 10, 1

'Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis'.

quo de loco, cum poema in cod. Gron. superioribus iniunctum, in cod. Neap. a praecedentibus interstitio separatum sit, quidquam certi explorari vix poterit. Mihi autem non dubium est, quin vocula 'sed' multo melius, quam 'at', initio carminis locum ita habeat, ut eadem ratione atque particula 'ergo' cogitationes in poetae pectore volutas interrumpi significet. (Cfr. quae exposui p. 22.)

5. Enuntiati formula 'si (non) — at' offertur IV 7, 29 'Si piguit portas procedere, at illud (sic, non 'illuc' Ribbeckius lectum vult) Iussisses'. I 5, 9 'Quod si .. non .. At'. IV 4, 57 'Si minus at'.

Paulo exquisitius est, quod Propertius usurpavit 'quod non — at': III 2, 9

'Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes . .,
At musae comites et carmina grata legenti'.

cui loquendi formulae Ovidius praetulit 'Si non — at' Am. I 3, 7

'Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina . . Nec meus innumeris renovatur campus aratris . .
At Phoebus comitesque novem vitisque repertor'.

6. Singulari voci, quae praemittitur, adversativa coniunctio opponit sequentia: III 6, 32 'Poena erit ante meos sera, sed ampla, pedes'. 18, 22. IV 1, 98 'Vera, sed invito contigit ista fides'. 8, 32. Ne 'at' quidem noster sprevit

[1]) Heydenreich, quaest. Prop. 1875 p. 20.

III 7, 46. Particula 'tamen' nobis offertur III 15, 32 'Sera, tamen pietas ..' Cfr. Tib. I 9, 4 'Sera, tamen .. poena venit'. Verg. Ecl. I 27 'Libertas, quae sera tamen respexit inertem'. Ov. Am. III 6, 71.

Quibus exemplis adnumerandum esse censeo enuntiatum III 15, 23 'Invocet Antiope quem nisi vincta Iovem?

Sola, tamen .. Regales manicas rupit'.

ubi, quod coniunctionem a praecedenti voce 'sola' non distinxerunt, critici non recte fecisse mihi videntur. Nec tamen negarim, in talismodi sententiis particulam adversativam saepe pertinere ad totum versum, quem ita continuat, ut acre contrarium non sentiatur: III 7, 55

'Paetus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit haec .. querellis'.
Ov. Met. III 719 'ruit omnis in unum Turba furens ...
Saucius ille tamen 'fer opem, matertera', dixit'.

7. Qua ratione poetae in opponendis sententiis voculam 'tamen' frequentaverunt. Prop. I 17, 9

'Tu tamen in melius saevas converte querellas ..
An poteris siccis mea fata opponere ocellis?'

Ov. Met. IX 326 'Te tamen .. alienae .. movet facies; quid si tibi .. sororis Fata .. referam?' Am. III 2, 21. Prop. II 13, 51 'Tu tamen amisso non nunquam flebis amico: Fas est praeteritos semper amare viros ....

Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, manes'.

IV 11, 85 'Seu tamen .. mutarit ianua lectum ..
Seu memor ille mea contentus manserit umbra'. (vs. 91).
III 12, 7 'Tu tamen iniecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem (i. e. sicherlich) .. tabescet ..'
Ov. Met. V 200 'Hi tamen .. poenas subiere . sed unus'.

IX 98 'Hunc tamen .. domuit iactura decoris .. At te, Nesse'. XIII 740. Am. I 4, 41. Trist. V 13, 25. III 3, 81. Cat. 64, 249 'Quae tamen .. volvebat .. curas. At .. volitabat Iacchus'.

Ov. Art. am. II 405 'Haec tamen audierat. Priameida viderat ipsam'.

2*

8. Apertius vero concessivae notioni particula 'tamen' respondet: Vs. III 21, 7

'Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negarit'.

ubi Kuttner, cum ad coniunctionem 'tamen' interpretandam vs. 3 revocatum vellet, non cogitavit, in vocula 'cum' concessivam vim positam esse. Codicis Neap. lectionem 'negarit' omnes excepto Muellero recentiores iniuria repudiasse docet simillimum exemplum, quod attuli p. 55.

Neque minus Kuttner erravit, cum II 5, 5

'Et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam,
Quae fieri nostro carmine nota velit'.

explicaret 'tu quidem me fefellisti, sed tamen aliam inveniam fideliorem'. Nam ne multa verba faciam, nonne voces 'e multis fallacibus' maiore sono pronuntiatae sunt? Non sententiarum consecutio et structura haec est?: Haec mereo? dabis mihi poenas. Et nobis aliquo ventus erit. Inveniam e multis fallacibus i. e. quamquam multae sunt fallaces, tamen unam. — Propertius ipse hunc particulae 'tamen' usum secutus est III 25, 10

'Nec tamen irata ianua fracta manu'.

i. e. Et ianua tamen non fracta manu, quamvis irata esset.

Ad intellegendam particulam vs. III 11, 51 'Fugisti tamen ..' vs. 41 'Ausa Iovi .. opponere Anubim' adhibeatur necesse est. In vs. III 16, 11

'Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes'.

sub coniunctione subicienda est sententia 'Quamvis nox terrorem nobis inferat'. Quid sibi velit particula vs. II 33, 41

'Nulla tamen lecto recipit se sola libenter'.

docent ea, quae inde a vs. 23 praemissa sunt. Illarum sententiarum nexus hic esse videtur: Quamquam mihi copiam tui non facis, tamen illud scio, nullam puellam etsq. Ergo rebus ac temporibus cedo. Ap. Prop. III 5, 3

'Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes.
Stant mihi cum domina proelia dura mea.
Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro ..'

Hauptium Vahlenumque pro vocula 'tamen' adverbium

'tantum' de Lachmanni editione priore perperam deprompsisse apertum est. Neque minus offensionem habet Baehrentis correctio 'tale'. Nam poeta dicit 'Quamvis pacis cupidus, bella cum puella gero nec tamen divitias possideo neque acquirere studeo. Sed vos vestro bello occasionem bona colligendi captatis (vs. 12 et 47)'. Eadem enuntiati structura, qua coniunctionem animadvertimus moderari sententiae antecedenti, invenitur II 19, 21

'Incipiam captare feras . . .
Non tamen ut vastos ausim temptare leones'.

Denique magnam ad cognoscendum, quo referretur, difficultatem habuit particula vs. IV 11, 61

'Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo'.

Qua re diu considerata mihi persuasi, versum 17 explicationis ansam nobis dare. Nam Cornelia, postquam id, quod ibi proposuerat 'Inmatura licet, tamen huc non noxia veni', longius prosecuta est, contendit loco, de quo agitur, sese, quamvis immaturam occubuisset mortem, tamen stirpem ex se reliquisse.

9. Restat, ut faciam mentionem horum versuum. Notio concessiva constat in vocabulis 'sive — sive' II 34, 81

'Non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis, sive peritus erit'.

Lygd. I, 6 'Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen'.

Pronomini vim concessivam tribuo apud Prop. I 15, 32

'Sis quodcunque voles, non aliena tamen' (sc. eris).

Cfr. Tib. I 6, 66 'Quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus'.

Verborum conformationem vs. I 15, 2 'Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia' comparare licebit cum Ov. ex Ponto I 7, 6 'me tamen excepto'. Met. VIII 868. De formula 'si tamen' exposui p. 27.

D. De coniunctionibus conclusivis consecutivis causalibusque.

1. Propertius et Ovidius ut particulas 'ergo' atque 'igitur' initio carminis posuerint, ea de causa factum est, quod

summam de re sententiam, quasi finem fecissent tacitis cogitationibus, repetiverunt. Prop. III 7, 1

'Ergo sollicitae tu causa, pecunia, vitaes!' 23, 1

'Ergo tam doctae nobis periere tabellae!'

Ov. Am. II 7, 1 'Ergo sufficiam reus in nova crimina semper?'

Trist. III 2, 1 'Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris'.

Cfr. Hor. Carm. I 24, 5 'Ergo' atque verba Kiessl. et Sat. I 10, 1 'Nempe'. Prop. I 8, 1

'Tune igitur demens, nec te mea cura moratur?'

II 13 B, 1 'Quandocunque igitur . . mors claudet ocellos'. Ov. Trist. III 9, 1 'Hic quoque sunt igitur . . urbes?'

Prop. II 8, 17 'Sic igitur . . moriere . . Properti?' ubi Lachm. et Mueller novam elegiam coeperunt neque Ribbeckius negavit orationem vix cohaerere.[1])

Similiter denique noster poeta voculam 'Et' usurpavit I 17, 1 'Et merito . .' quo de vs. dixi p. 4. De particulis 'sed' et 'at' initio carminis collocatis vide, quae monuerim p. 17 et 18.

2. Laude dignus est Vahlenus[2]), quod lectione codicum 'Et' reiecta 'Ut' scripsit vs. I 8, 15 'Ut me defixum vacua patiatur (sic etiam codd. littera O consignati) in ora . . vocare'. Nam Scaligeri transpositio versuum a Muellero probata nexum nequaquam adiuverat.

3. Usum, quo particula 'ne' pro 'ut non' usurpata esse videtur, praeter verba faciendi ita constructa (Prop. III 16, 25. Ov. Rem. 265. Trist. IV 6, 12. Ex Ponto I 1, 65. Met. XII 282. XIV 353) raro inveniri Hertzbergio credo. Nec tamen vs. III 11, 24 solum illa dicendi licentia observatur, verum etiam II 1, 68 'ille repleverit . . Ne tenera adsidua colla graventur aqua'. et IV 11, 48

'Mi natura dedit leges a sanguine ductas,

Ne possem melior iudicis esse metu'.

---

[1]) Cfr. Ribbeck, Zur Erklärung und Kritik d. Prop. Rh. Mus. 40 (1885) p. 501.

[2]) Vahlen, Monatsber. der Akad. p. 365.

Nam quia natura suas cuique sanguinis leges dat, non dubitabis, quin Cornelia, quales fuerint illae leges, audientes admoneat. Cfr. Ov. Trist. V 13, 4

'Aeger enim traxi contagia corpore mentis
Libera tormento pars mihi ne qua vacet'.

4. Neque quisquam miratus est Propertium verba vs. III 11, 24 sic struxisse, ut coniunctio 'ne' a vocula 'et' longius absit: 'statuit ... Semiramis urbem,

Ut solidum cocto tolleret aggere opus,
Et duo in adversum missi per moenia currus
Ne possent tacto stringere ab axe latus'.

Ovidius quidem dixit praeter 'Et ne' (Met. I 159. II 402. X 583. XI 695. Trist. IV 6, 12. Art. am. II 393. Rem. am. 465) in Ibid. 457 'Solaque Limone poenam ne senserit illam'. et Met. IV 741 'Anguiferumque caput dura ne laedat'; sed tam procul a coniunctione distantem nemo poeta particulam 'ne' posuit, quam ob rem Itali 'missi' in 'misit' fortasse correxerunt. At si ita esset, male fecissent. Nam Propertius ipse hunc usum sibi vindicavit loco IV 7, 75 'mandata damus .. Nutrix .. ne quid desideret.. Parthenie ..

Deliciaeque meae Latris, cui nomen ab usust,
Ne speculum dominae porrigat illa novae'.

5. Particula 'namque' secundo loco apparet IV 1, 57. 7, 3; tertio loco invenitur II 21, 12. Ut vocem 'sed', ita voculam 'nam' Propertius cum omnibus poetis dissentiens semel postposuit IV 8, 23. Transeo ad voculam 'etenim', quam, quia Handius ab Horatio et Lucretio solis exempla petiverat, post illos scriptores nisi a Plinio et Appuleio non postpositam esse Draeger (II 171) affirmavit. Sed vide (praeter Hor. Sat. I 6, 54) Prop. II 7, 17 'Hinc etenim .. meruit mea gloria nomen'. Lygd. I 14 'Sic etenim'. Iuven. VIII 111 'haec etenim'. XIV 4 'Plus etenim'. Stat. Silv. II 1, 19. In Prop. vs. II 10, 25 Vahlenus (cfr. l. c. p. 348) rectissime retinuit scripturam 'Nondum etiam'.

6. In usu particularum 'nam' et 'namque' causativam vim ab explicativa significatione discernendam esse constat. Versus huc pertinentes Kuttner (p. 55) iam digessit. Expli-

cativam sententiam plerumque habet vocula 'namque' (cfr I 20, 17. II 21, 12. III 18, 17. 20, 21. IV 1, 57; 109); causam hac particula indicatam inveni II 25, 31. IV 7, 3. Illa argumentatio vel explicatio interrogationis signo consignata est

I 14, 15 'Nam quis divitiis adverso gaudet Amore?' II 4, 15. 13, 45. III 1, 25. IV 3, 51. De vs. I 3, 37 II 32, 3 vd. infra.

7. Ab his locis ii, quibus 'nam' coniunctio indicat praeteritionem, internoscendi sunt. IV 8, 38

'Serica nam taceo .. carpenta nepotis'. 2, 41

'Nam quid ego adiciam, de quo mihi maxima famast?' III 19, 17. Quod ad hanc loquendi consuetudinem revocari necesse est, enuntiatum III 11, 27

'Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?' interrogationem Kuttner putavit. At praeterquam quod nihil veri illic quaeritur, docti adhuc ambigunt, utrum Vergilius comicorum morem dicendi secutus, formulam 'nam quis' pro 'quisnam' teste Servio usurpaverit, an explicandi notio in causali coniunctione constet.[1]) Neque vero non mirari licet, Kuttnerum illi exemplo vs. I 3, 37 et II 32, 3 non adnumerasse, ubi particula causalis mihi quidem difficultatem attulit. Postquam nexum diutius mecum volutavi, mihi persuasi, ne ibi quidem interrogationem a coniunctione induci. Ipse iudica.

'Tandem te .. iniuria .. alterius .. expulit e foribus?
Namque ubi longa meae consumpsti tempora noctis
Languidus exactis hei mihi sideribus?'

i. e. nam te e alterius foribus expulsum esse inde cognosco, quod languidus nunc demum ad me venisti. 'Ubi' verto wo sonst. Alter locus est 'facti lumina crimen habent. Nam quid Praenesti .. sortes, Quid petis .. moenia Telegoni?' i. e. nam nisi ad ista loca te conferres, nemo te conspiceret neque ad peccandum sollicitaret (vs. 1).

Inde Propertius pergit 'Hoc utinam spatiere loco .. sed

---

[1]) Verg. Geor. IV 445. Aen. II 373. Cfr. Forbig. ad h. l. Draeg. II 160.

tibi credere turba vetat, Cum videt .. devotam currere .. in nemus'. Hanc voculam 'sed' Lachmannus et alii, qui excepto Hertzbergio eius sententiam probaverunt, 'nam' particula ab Italis scripta commutavere. At codices rectissime tradere praemissa enuntiata docent, quippe cum poeta ad ea, quae monuerat paulo ante, revertatur vel potius primam orationis partem absolvat. 'Sed (aber wie gesagt) tibi credere', inquit amator 'me impediunt multi viri, quorum "lumina crimen (facti) habent".

Ne Baehrens quidem coniunctionem 'sed' parvi aestimavit. At eo, quod vocula 'cum' in 'cur' mutata vs. 9 et 10 post vs. 6 posuit, nimiam vim textui fecit. Nam quis est, quin cernat, quanta inanitas inesset in verbis 'sed credere turba vetat', nisi poeta adiunxisset 'Cum videt.. devotam currere'?

8. Plenum nexum particula 'nam' ita desiderat, ut praemissam sententiam neque probet neque explicet, vs. I 8, 21

'Ut te (Cynthia) .. Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae'.

i. e. Denn was mich betrifft. Qua liberiori ratione poetas saepius loqui his Ovidii tribus exemplis firmare mihi liceat. In vs. Met. VI 271 postquam de Niobe dictum est, oratio continuatur 'Nam pater Amphion .. Finierat .. pariter cum luce dolorem'. II 329. VIII 531 'Pulvere canitiem genitor..

Foedat humi fusus, spatiosumque increpat aevum.
Nam de matre manus diri sibi conscia facti
Exegit poenas'.

Hauptius reddit denn was das betrifft, darüber brauche ich kaum zu reden, quae conversio assequitur meam interpretationem. In omnibus igitur his versibus quasi praeteritio, de qua modo dixi, cognoscitur.

De particula 'nam' a Lachmanno reiecta et a Vahleno restituta vs. III 7, 19 huic doctissimo viro assentior; sed cur idem (cfr. l. c. 356) vs. II. 26, 49

'Testis Amymone, latices cum ferret in Argis
Compressa, et Lernae pulsa tridente palus.
Iam deus amplexu votum persolvit: at illi
Aurea divinas urna profudit aquas'.

adverbium 'Jam' in voculam 'Nam' mutaverit, nullam causam perspicio. Atque etiam addita sententia 'Nam .. amplexu votum persolvit' esset otiosa, quoniam Prop. idem explicaret, quod iam antea verbis 'compressa' et 'latices cum ferret' exposuisset. Si autem adverbium 'iam' suo loco manet, celeritatem agendi et subitum miraculum luculente significari videmus. Quod et Lachmannus, cum pro 'at' voculam 'et' scriberet, meo iudicio sensit; tamen inutilem fuisse illam mutationem et causae, quae supra (pag. 16) sunt allatae, comprobant et locus Ovid. Met. I 283

'Ipse tridente suo terram percussit: at illa
Intremuit motuque vias patefecit aquarum'.

E. De coniunctionibus condicionalibus et concessivis.

1. Quid in cod. Neap. legatur ratione habita, Lachmannus poetae verba prospera coniectura assecutus est in vs. III 6, 41

'Quod mihi si e tanto felix concordia bello
Extiterit, per me, Lygdame, liber eris'.

Nam lectionem 'quod mihi si' praebent codices, quos Baehrens littera O notavit. Tamen Mueller illius critici sententia in dubium vocata ideo scripsit 'Quodsin', quia non appareret, cur 'mihi' potius dixisset Propertius, quam 'nobis'. At si poetae, tamenne Cynthiae concordia reconciliatur? Huc accedit, ut Propertius, non puella, libertatem servo fuerit paraturus eaque de causa singulari numero uti maluerit. Denique elocutio 'Quod mihi si' in carmine II 26 eundem locum obtinet.

2. Lexica docent Propertium formulam 'si modo' cum coniunctivo copulasse I 18, 4

'Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem'.

Cuius rei quia neque Draeger neque Kuehner mentionem fecerunt, aliorum poetarum exempla eo magis afferam, quod eadem Bachii[1]) sententiam, illo usu optatum indicari, refutant.

---

[1]) Cfr. Bach, Ovid. Metam. XI 452.

Nimirum potest, ut poetico more saxa animandi (vd. v. 19. 21) Propertius illum modum posuerit. His certe locis optatum cognoscitur: Tib. II 4, 59 'Si modo me placido videat Nemesis mea vultu . . bibam'. I 2, 71. IV 1, 198. Nihil autem optati intellegitur ap. Ovid. Met. I 647 'Nec retinet lacrimas et si modo verba sequantur, Oret opem'. VI 454 'audire solemus Naidas . . incedere silvis, Si modo des illis cultus similesque paratus'. Trist. V 9, 8. Hor. Sat. I 2, 74. Epp. I 1, 40.

3. De elocutione 'si tamen' pauca sunt nota. Draeger (II 471) eam ab optimis scriptoribus non usurpatam moderandae orationi inservire ratus offert eadem duo Ovidii exempla, quae lexicographi iam exhibuerunt. Horatius igitur illa formula primus usus esse mihi videtur. Ut ipse, ita Prop. eam bis posuit, cum Tibullus semel usurpaverit. Ovidius autem maxime omnium adhibuit elocutionem 'si tamen', cuius auxilio

a) Sententia contraria adiungitur (wenn dennoch, wenn aber). Hor. Carm. I 3, 23 'Nequiquam deus abscidit . . Oceano . . Terras si tamen . . rates transiliunt vada'. Epp. II 2, 24: 'Quid tum profeci . . . Si tamen attentas?' Tib. I. 6, 56 'Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, poenas:
Si tamen admittas sit precor illa levis'.

Ov. Tr. V 13, 7 'Aeger enim traxi contagia . . Si tamen ipse vales, aliqua nos parte valemus'. I 5, 17. Fast. III 257. Met. IX 511. Am. III 14, 42. II 16, 47. Art. am. I 715. Rem. 107.

b) Minor autem particulae 'tamen' potestas est, si elocutio 'si tamen' orationi inservit moderandae (wenn doch, wenn anders), ut voculae 'tamen' vis in coniunctionem 'si' quasi recidens efficiat, ut enuntiati argumentum aut ad negationem aut ad affirmationem inclinet, aut neutram ad partem valeat. Ambiguitas igitur inest his locis. Ov. Trist. I 2, 97
'Si tamen acta deos nunquam mortalia fallunt,
A culpa facinus scitis abesse mea'. Am. III 9, 59
'Si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
Restat, in Elysia valle Tibullus erit'.

Her. XV 9. Trist. III 13, 25; 14, 24. IV 10, 85. Ex Ponto II 2, 97. Met. VI 452. XIV 729. Certa negatio cognoscitur Met. X 323 'Si tamen hoc scelus est. sed enim damnare negaret Hanc Venerem Pietas'.

Sententia inclinat ad affirmationem: Met. VII 167 'Si tamen hoc possunt — quid enim non carmina possunt? — Deme meis annis'. Am. II 13, 27. Met. IV 537 'aliqua et mihi gratia ponto est, Si tamen in dio quondam ... profundi Spuma fui'. Prop. II 30, 35

'Hic quoque non nescit quid sit amare chorus,
Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit'. IV 3 3
'Si qua tamen tibi lecturo pars oblita derit,
Haec erit e lacrimis facta litura meis'. Cfr. Ov. Her. XI 1
'Siqua tamen caecis errabunt scripta lituris,
Oblitus a dominae caede libellus erit'.

4. In formula 'Quodsi' oppositionem interdum constare vix est, quod moneam (cfr. II 7, 15; 26, 57. III 16, 21); sed pauca sunt mihi dicenda de concessivis particulis. Eo quod Ovidius 'licet' cum adiectivo copulavit (Met. XV 62), ad Propertium accessit. (II 34, 72. IV 11, 17.) Ut autem Tibullus, ita Propertius consulto cogitateque voculam 'quamquam' vitavit, qua Catullus (67, 10; 66, 69.), Panegyrici Messallae scriptor (vs. 1 et 28) Ovidiusque (Trist. III 9, 15. 4, 7; saepissime in Met. libris) usi sunt. Locos voculam 'quamvis' cum indicativo coniunctam exhibentes Draeger (II 769) iam enumeravit, sed eius opinio, illum modum propter metrum esse coniunctivo praelatum, perversa est. Nam indicativum metro non cogente positum esse docent haec testimonia: Prop. I 16, 14. II 8, 27. Ov. Am. II 5, 60. III 4, 23. Met. IV 256. IX 471. Ex Ponto I 6, 45.

De vocabulo 'quod' ad concessivam vim accedenti vd. p. 18.

F. De coniunctionibus comparativis finalibus temporalibusque.

1. Quod Handius (II p. 45) nisi Horatii et Vergilii exempla coniunctionis 'ceu' non attulit, eam ab Ovidio usurpatam esse Draeger (II 640) negavit. At non in Met.

libris solum, sed in elegiae etiam sermone particula invenitur. Met. I 135; 420. III 79. IV 222. V 509. IX 78. XI 26; XV 303. Am. III 9, 25. Cat. 64, 239. Prop. IV 5, 19

'Exorabat opus verbis, ceu blanda pererrat.. lympha viam'.

2. Comparationis formula adhuc nusquam memorata offertur II 5, 11

'Non ita Carpathiae variant .. undae ..
Quam facile irati verbo mutantur amantes'.

Ut hic adverbium 'facile', ita vocem 'cito' in alterum similitudinis membrum poeta intulit II 9, 33

'Non sic incerto mutantur flamine Syrtes ..
Quam cito feminea non constat foedus in ira'.

Praeterea dignae, quae proferantur, hae comparationis formulae videntur: II 14, 9 'Non ita .. Nec sic .. Quanta ego .. collegi gaudia'. I 12, 3 'Tam multa illa meo divisa est milia lecto, Quantum Hypanis .. dissidet Eridano'. III 21, 10 'Quantum oculis, animo tam procul ibit amor'. Cfr. Liv IX 38, 1. Prop. II 3, 9 'Nec me tam facies .. cepit .. Nec comae .. Non oculi .. Nec siqua .. lucet .. Quantum quod .. saltat'. Quasi versis membris 'non tantum — quam' a Vergilio (Aen. VI 352) et Livio (37, 51, 9) positum esse lexicographi iam monuerunt.

3. Post verbum iurandi nunquam particulam 'ut' usurpatam esse Draeger (II 248) affirmat At vide Prop. I 15, 36

'Hos (oculos) tu iurabas, siquid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus'.

4. Coniunctio 'ut' pro 'utinam' adhibita est: II 8, 45

'His saltem ut tenear iam finibus'. Cat. 66, 48

'Juppiter, ut Chalybon omne genus pereat'.

Verg. Aen. X 631. Ov. Her. XIII 161. Hor. Sat. II 1, 43.

5. De voce 'nedum', quae vulgari modo usurpata apparet I 4, 9, post sententiam affirmativam collocata I 9, 32 vide Hand. IV 153. Ad structuram timendi verborum exigendae sunt elocutiones vs. II 7, 3 'flemus .. Ni nos divideret'. et vs. III 12, 10 'tabescet .. ne virtus fiat amara tibi'.

6. Pro coniunctione condicionali 'modo' Propertius semel usus est voce 'tantum:'

II 26, 41 'Illa meis tantum non unquam desit ocellis, Incendat navem Juppiter ipse licet'. Cfr. Ov. Rem. 390 'Maius erit, tantum quo pede coepit, eat'.

7. Neque illam proprietatem quisquam animadvertit neque huius enuntiati I 9, 29

'Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.'

i. e. non ante — dum nec (= non). Particulas 'usque', 'usque adeo (vel eo)' voci 'donec' similiter ad augendam orationem praemissas Handius II p. 294 iam attulit.

8. Illum usum, quo vocula 'dum' terminum significans cum futuro tempore copulata est (Prop. I 14, 14), alio exemplo firmare non possum. Sed ubi particula cum praeterito ita coniuncta est, ut, quoad altera actio permaneat, altera res fiat vel accidat, talismodi duobus exemplis a Draegero (II 607) adscriptis addere licet: Verg. Aen. II 88

'Dum stabat regno incolumis regumque vigebat Conciliis, et nos .. nomenque decusque Gessimus. VI 661. VI 608. Prop. IV 10, 33

'Dumque aries murum .. pulsabat .... Cossus ait'.

9. De pleonasmo 'prius — quam — ante' (Prop. II 25, 25) monuit Handius I 396. Coniunctionem 'postquam' poetae cum plusquamperfecto copulatam haud ita frequentaverunt. Prop. IV 9, 63. Lygd. 4, 41. Ov. Her. X 46. Met. VIII 875. Trist. IV 4, 70. Verg. Aen. XI 94.

10. Relativam temporalis particulae 'quandocunque' potestatem lexica uno Hor. Epist. I 14, 17 loco confirmant. Prop. II 1, 71 'Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent, Maecenas .. Esseda .. siste.' 17, 17 'Quandocunque igitur nostros mors claudet ocellos, Accipe'. Tib. IV 1, 210 ,Quandocunque hominem me longa receperit aetas .. subtexam'.

11. Tibulli cum proprium esset semper dicere 'o quotiens', Propertius et Ovidius 'a quotiens' et 'o quotiens' promiscue locuti sunt.

12. Illam dicendi consuetudinem, qua coniunctio 'ubi' cum futuro tempore ita copulata apparet, ut alterius quoque sententiae verbum idem tempus habeat, nisi comicorum

exemplis Draeger (II 568) non affirmavit. Prop. III 21, 23 'Inde ubi .. capient me .. Scandam ego Theseae bracchia longa viae'. IV 8, 25 'qui dabit .. Vincet ubi'. Ov. Met. XV 352.

Neque solum Lucretius et Vergilius compositionem 'quippe ubi' admiserunt, sicut lexica docent, sed etiam hi poetae. Prop. I 9, 27 'Quippe ubi non liceat'. II 4, 9. Tib. IV 1, 157. Ov. Met. I 430.

Vocabula 'mox' et 'ubi' coniuncta sunt: Prop. IV 11, 33 'Mox, ubi iam cessit .. Iungor'. Ov. Met. I 403. VII 309. XI 633. Hor. Carm. II 1, 10. III 27, 69.

Particulas in unam fere notionem coactas videmus ap. Prop. IV 1, 131 'Mox ubi bulla rudi dimissa est .. collo, Tum tibi pauca .. dictat Apollo'.

G. De particulis interrogationi et negationi servientibus.

1. Voculam 'an' in vs. I 18, 23

'An tua quod peperit nobis iniuria curas,
Quae solum tacitis cognita sunt foribus?'

Mueller in 'En', Baehrens in 'A' mutaverunt, cum Heimreichius[1]) interrogationis responsum desiderans versus 13—16 post vs. 24 poni voluerit. Ego autem a poeta percontationem et responsionem praeclare coniunctas esse ratus interpretor 'An quod putas, me curas, quibus me affecisti, cum aliis communicasse?' Nam cfr. vs. 3 'Hic licet occultos proferre impune dolores' et vs. 26 'consuevi .. neque arguto facta dolore queri'. Praeterea et translatis versibus et vocula An' mutata concinnitas totius carminis ideo perturbatur, quod trium interrogationum primae (vs. 10) tria disticha, quae dant responsum, succedunt, secundae duo, tertiae rursus tria disticha, quibus illius argumentum illustratur. Prienium[2]), qui aliud (vs. 21 et 22) distichon poetae abiudicavit, in carminis nexu reputando erravisse Heydenreichius (p. 32) iam arguit.

[1]) Heimreich, Quaest. Prop. p. 52. Eum quid versibus 25 sqq. faceret, non dixisse mirari licet.

[2]) Prien, Symmetrie u. Resp. p. 51.

2. Firmior negatio 'non' pro 'ne' in enuntiato optativo posita si non multis, at certe nunnullis locis comprobatur neque Handius (IV p. 8) recte iudicavit, cum apud Prop.

I 8, 13 'Atque ego non videam tales subsidere ventos'.

explicatum vellet 'non est quod videam'. Nam hic, ut in aliis eiusdem elegiae versibus mera vota fieri quis est qui nesciat? Cuiusmodi pauca exempla a Draegero (I 312) et Kuehnero (II 145) allata his augere mihi liceat. Tib. IV 1, 76

'Non violata vagi sileantur pascua Solis'.

Ov. Met. III 405 'Sic amet ipse licet, sic non potiatur amato!' Art. am. III 133 'non sint sine lege capilli'. Trist. III 7, 29. Met. XII 152. Verg. Ecl. X 5. Hor. Epp. I 18, 72. Mart. IV 45, 7.

In aliis autem enuntiatis vis vocis 'non' ad singularem sententiae partem pertinet. Pr. I 8, 18 'Sit Galathea tuae non aliena viae'. Ov. Ex. P. I 7, 68. Pr. II 26, 41 'Illa meis tantum non unquam desit ocellis'. III 15, 1. Ov. Am. III 9, 68. Trist. V 3, 38.

3. Compositionem 'ne — non', cui inprimis Ovidius indulget, affirmationem efficere notum est, sed eadem vocabula 'ne — non (nemo)' negationem ipsam augere a nullo adhuc commemoratum est. Itaque fieri non potuit, quin tentaretur locus Prop. II 19, 32

'Sic me nec solae poterunt avertere silvae . . .
Quin ego in adsidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse velit'.

Nec Baehrentis mutatio 'dum' necessaria est, nec codicis Neap. lectioni 'nemo non' ab Hertzbergio defensae favebit, quicunque quam vim postremis carminis versibus imponere soleat noster poeta, attenderit. Iniuria Lachmannum, quod illum locum reliquisset intactum, Hertzb. accusavit. Nam eadem ratione Tibullus scripsit vs. IV 7, 8

'Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo quam meus ante, velim'. i. e. sig. ne l.

Quod huc pertinet, alterum repperi exemplum Ovid. Ex P. I 1, 66

'Mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exul:
Ne non peccarim, mors quoque non faciet'.

Caput II.

De praepositionibus.

Priusquam tractem ea, quae in praepositionum significatione exponenda memoratu digna mihi videntur, quaedam de earum collocatione praemittam.

Atque primum etsi non meum est de metricis rebus loqui, tamen, quia neque Mueller neque alii mentionem fecerunt huius rei, mihi adscribenda sunt tria exempla, ubi praepositio caesura vel diaeresi a suo verbo disiuncta apparet. Prop. IV 8, 35

'Unus erat tribus in secreta lectulus herba'. II 30, 8
'Et gravis ipse super libera colla sedet'. IV 6, 62
'Plauserunt circa libera signa deae'.

Cfr. Ovid. Art. am. III 274 'circa fascia'. III 418 'ultra limina'. Cat. 87, 4 'ex parte' 111, 2 'e laudibus'.

Saepius quidem poetae separaverunt in versus fine praepositionem 'inter'. Prop. IV 2, 3 'inter Proelia'.

Porro versibus, ubi praepositio a substantivo secernitur genetivo vel adiectivo, praetermissis hos afferam locos:

Prop. III 4, 18 'Et subter captos arma sedere duces'. (Nam vide Ov. Ex P. III 4, 104 'Stentque super victos trunca tropaea viros'.) Prop. III 7, 57

'Di maris Aegaei quos sunt penes aequora'. II 6, 38
'Quae nunquam supra pes inimicus eat'. IV 8, 31
'Altera Tarpeios est inter Teia lucos'.[1])

Praepositio a suo verbo ita separata est, ut adiectivum caesura vel diaeresi a particula seiunctum praecedat: II 34, 57

'Ut regem mixtas inter conviva puellas'. III 2, 10.
'Nec camera auratas inter eburna trabes'. II 10, 22
'Ponitur hic imos ante corona pedes'. III 7, 10.

Neutiquam autem arbitror, Propertium tam procul abesse praepositionem voluisse vs. I 21, 10:

---

[1]) Aliorum poetarum exempla invenies ap. Neuen, Formenlehre d. lat. Spr. II p. 794.

'Et quaecunque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, haec sciat esse mea'.

sed voculam 'super' intellego adverbium: oben auf den Bergen. Cfr. Prop. II 13, 33

'Et sit in exiguo laurus super addita busto'.

Denique praepositionem videmus postpositam: IV 6, 6 'circa'. III 11, 30. IV 8, 53. III 11 46. I 16, 13 'inter'. IV 7, 25 'propter'. II 8, 24 'sine'. I 20, 35 'supra'. IV 6, 29 'super'. IV 7, 29 'ultra'. IV 7, 4 'ad'.

A. Praepositiones cum accusativo coniunctae.

1. Ad.

a) Prop. IV 1, 70 'Has meus ad metas sudet oportet equus' i. e. zu — hin. Cfr. V. Geor. III 202 'ad Elei metas .. Sudabit (equus)'. Cat. 3, 10 'Ad solam dominam usque pipiabat'. 61, 219 'rideat ad patrem'.

Pr. II 20, 13 'De te quodcunque ad surdas mihi dicitur aures'. Cfr. Verg. Aen. V 547 'et fidam sic fatur ad aurem'. Pr. IV 11, 83 'Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris'. I 18, 30 'Cogor ad argutas dicere solus aves. Cfr. Tib. II 1, 31 ''bene Messalam' sua quisque ad pocula dicat'. Cat. 67, 14 'Ad me .. clamant'. Ov. Fast. VI 120

'Ad duram verbis mollibus usus erat'. V. Aen. I 64. IX 5.

Quae maior vis in vocula 'ad' inesse putanda est loco II 24, 25 'Lernaeas pugnet ad hydras', ubi verto zu — hin sich wendend, gegenüber neque recte iudicasse mihi videntur Handius (I 85) et Hertzbg., qui particulam idem atque praepositionem 'apud' significare arbitrati sunt.

Denique huc revocandum est enuntiatum, quod omnibus criticis scrupulum iniecisse miror II 32, 23

'Nuper enim de te nostras me laedit ad aures Rumor'.

i. e. Rumor nostras ad aures perveniens laedit me. Nam idem scriptor nonne sententiam eadem ratione struxit vs. II, 17, 6? 'Ut liquor arenti fallat ab ore sitim'. i. e. liquor ab ore relabens fallat sitim. Verbum perveniendi Vergilius omisit VI 561 'Quis tantus clangor ad auris?' neque nimis audacem structuram admisisse Propertium probant praeter illud 'Ut

liquor' multa et eiusdem et aliorum poetarum testimonia quae attuli p. 39.

b) Praepositio dicitur de ratione, ex qua quid considerandum est: II 13, 42 'Non nihil ad verum conscia terra sapit'. IV 3, 62 'calent ad nova lucra popae'. 5, 47 'Ianitor ad dantes vigilet'.

Quo modo particula inprimis ab adiectivis pendet: II 22, 20 'ad formosas caecus'. 16, 21 'venales .. ad munus amicae'. II 34, 38 'tristis ad .. funera equus'. II 10, 3. IV 1, 52; 9, 40 'ad vastas inrita tela feras'.

c) Finalis notio in particula 'ad' constat IV 8, 37 'Lygdamus ad cyathos'. Cfr. Hor. I 29, 8 'Puer . . Ad cyathum statuetur'. Iuven. XIII 44 'Herculis uxor ad cyathos'. Cat. 10, 15 'Ad lecticam homines'. Verg. Aen. IX 648 'ad limina custos'.

d) Usum, quo 'ad' praepositio indicat loci propinquitatem, translatum esse animadvertimus.

α) Pr. II 22, 16 'Et Phrygis insanos caeditur ad numeros'. Tib. I 4, 70. Ov. Ib. 452. Pr. IV 1, 24 'ad calamos exta litabat ovis'. III 17, 36 'Tundet ad Idaeos cymbala .. choros'. IV 8, 42 'Iactabat . . ad cava buxa manus'. Ov. Fast. III 536.

β) Acrior vis in particula inesse videtur, si actio non tam fit, quam fieri incipit, ut quasi causa agendi efficiens cognoscatur. Pr. IV 11, 2 'Panditur ad nullas ianua nigra preces'. (ad = auf — hin.) Ov. Met. X 574 'Venit ad hanc legem . . turba procorum'. Her. XI 63 'Mortua .. ad tua verba revixi'. Ex P. I 3, 9. Fast. II 845. VI 520. III 608. Met. IV 145. V 509. Tib. II 3, 79. Hor. III 6, 40. Verg. VII 519.

γ) Denique huc pertinent hae elocutionis formulae:

Pr. III 8, 1 'Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas'. Ov. Met. IV 220 'famulas ad lumina cernit'. Verg. Aen. VIII 411. Geor. I 291. Ov. Fast. II 743. IV 735 'ad prima crepuscula'. Hor. Sat. II 8, 32 'melimela . . ad lunam delecta'. Verg. Aen. IV 513. Ov. Fast. I 438. Met. IV 99. Iuven. X 21.

d) Quodsi duae res accessu vel statu sese attingunt, 'ad' praepositio per nostrum 'an' reddenda est. Pr. III 14, 9 'ligat ad caestum bracchia'. 7, 19. IV 1, 110 'haerentes ad pia saxa rates'. Alios locos a posteriore prosa petitos vide ap. Hand. I 89. Pr. IV 2, 39

'Pastorem ad baculum possum curare'.

i. e. am Stabe. Cfr. Verg. Geor. II 250 'ad digitos lentescit habendo'. Iuven. VIII 157 'facies olida ad praesepia pictas'.

Pr. II 1, 7 'Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos'.

Nam idem poeta dicit II 22, 9 'Sive vagi crines puris in frontibus errant'. IV 3, 58 'Et crepet ad veteres herba Sabina focos'. i. e. am, auf d. H. Cui similem sententiam cum verbis exprimerent, Ovid. et Mart. voculam 'in' adhibere maluerunt: Fast. IV 742 'Et crepet in mediis laurus adusta focis'. Mart. IX 22, 6. Sed illa particulae 'ad' potestas rursus offertur ap. Ov. Fast. VI 340 'asellum Liquerat ad ripas'. Tib. II 5, 54 'ad ripas arma relicta dei'.

2. Praepositionem 'ante' a Latinis in talibus sententiis, quarum verbum significat motum, interdum usurpatam esse, Hand. (I 365) et lexicographi docuerunt. Pr. IV 2, 56

'Transeat ante meos turba togata pedes'. Tib. II 5, 116
'Ante suos currus oppida victa feret'. I 10, 16
'Cursarem vestros cum tener ante pedes'. Ov. Trist. IV 2, 22.

Neque vero adhuc commemorati sunt loci, ubi non propinquitas, sed motionis terminus intellegatur atque particula 'ante' a praepositione 'ad' proxime absit. Ov. Ib. 536

'Excidat ante pedes lingua resecta tuos'. Am. I 13, 19
'vinctos ante atria mittis'. II 13, 24
'Ipse feram ante tuos munera vota pedes'. Prop. I 16, 43
'Ante tuos quotiens verti me, perfida, postes'.

3. Handii opinio (II 53) Latinos non dixisse 'circa — ire' eaque de causa vs. IV 6, 6 'Terque focum circa laneus orbis eat' Dempsterum rectius 'circum' scripsisse, ad irritum cecidit reperto loco Ov. Art. am. III 274 'Angustum circa fascia pectus eat'.

4. Per.

a) Ut amplius, ubi quid adest sive accidit, spatium oculis subiceretur, poetae praepositionem 'per' frequentaverunt. E multis pauca exhibeo: III 13, 41 'quibus est tutela per agros'. 19, 5 'Flamma per incensas .. sedetur aristas'. 11, 33 'furtiva per antra puellae Oscula .. dedere viris'. 13, 30

'Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
'Lilia virgineos lucida per calathos'.

i. e. 'in d. Körbchen umher (liegend)'. Cui similes sententias ut dicendo exprimerent, Ovid. voculam 'in' usurpavit Art. am. II 264 'Adferat in calatho rustica dona puer' atque Verg. (Ecl. II 46. Geor. III 402) et Prop. (IV 2, 40) ablativo solo usi sunt.

Particula nostro 'an — vorbei' vertenda est: III 13, 12

'Et spolia opprobrii nostra per ora trahit'.

Ov. Tr. IV 2, 48 'Caesar .. veheris .. populi rite per ora tui'. Hor. Sat. II 1, 64. Verg. Geor. IV 457 'fugeret per flumina'. Alia invenies ap. Hand. IV 431.

b) Verbi actio ab alio alium ad locum defluit vs. III 14, 5

'Cum pila velocis fallit per bracchia iactus'.

i. e. volans a br. ad br. fallit, qua de breviloquentia vd. p. 39. Cuius elocutionis explicationem Hertzb. hausit e volumine Handii (IV 434), qui illud historicorum 'per manus' comparaverat. Eandem autem sententiam habet praepositio vs. IV 8, 87 'Atque ita mutato per singula pallia lecto'. et IV 6, 35

'Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes Serpentem'.

i. e. ab uno orbe ad alterum orbem solvens interemit serpentem. Cf. Ov. Met. VII 126 'Perque suos intus (in alvo) numeros componitur infans'. Fast. III 123 'digiti, per quos numerare solemus'.

c) Ablativo instrumenti, non causae, id quod Hoerleio (p. 60) videtur, particula anteposita est vs. I 15, 34 'ocelli, Per quos saepe mihi credita perfidiast'. Ov. Am. III 3, 10 'Per quos (ocellos) mentita est perfida saepe mihi'. Art. am. I 137 'digitis, per quos arcana loquaris'.

Maiorem vero licentiam noster sibi sumpsit, cum ad materiam significandam 'per' vocem adhibuit IV 3, 20:

'Et struxit querulas rauca per ossa[1]) tubas'.

Quod Lachm. cui Haupt. et Vahl. assensi sunt, vs. I 15, 21

'Coniugis Euadne miseros elata per ignes Occidit'.

'ablata' scripserat, Hertzb. operam dedit, ut codicum lectionem defenderet. Sed huius interpretis atque Baehrentis opinio, verba 'per ignes' cum 'occidit' artius esse iungenda, ideo non placet, quia locum illi simillimum inveni ap. Ov. Met. VI 282 "Corque ferum satia' dixit 'per funera septem Efferor." Quod enuntiatum praecedenti hexametro uncis incluso Merkelius intactum reliquit.

5. Post.

a) Pro formula 'a tergo' elocutio 'post terga' usurpata apparet: Pr. II 10, 13. Ov. Fast. IV 281. Met. II 187. Iuven. XIII 16.

b) Optimi solutae orationis scriptores participium addidissent in his exemplis: Pr. III 1, 36 'Illum post cineres auguror ipse diem'. Ov. Ex P. IV 16, 13 'Famaque post cineres maior venit'. Met. VIII 539. Mart. I 1, 6.

c) In vs. II 3, 32 'Post Helenam haec terris forma secunda redit'. praepositio principatum, quem quis tenet, significat. Qui usus cum uno Hor. loco III 9, 6 ab Handio atque lexicographis allato comprobetur, alios adiungo. Ov. Met. V 97

'Cephenum post regem primus Hodites'. Tr. V 9, 12

'Gratia post magnos est tibi habenda deos'.

6. Vocula 'propter' finalem notionem contineri ab omnibus doctis negatum est. At considera vs. Pr. II 9, 25

'Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem?'

Neque minus Ovidium hanc loquendi licentiam sibi sumpsisse is concedet, qui vs. Trist. II 375

'Aut quid Odyssea est, nisi femina propter amorem,
Dum vir abest, multis una petita procis?'

voluntatem procorum et poetae consilium exemplorum proponendorum, quae Caesari persuadeant de aliorum scriptorum turpi argumento, respiciet.

---

[1]) Cfr. Bluemner, Technologie u. Terminologie d. Gewerbe u. Künste bei Gr. u. Röm. II p. 396. 394.

B. Praepositiones cum ablativo coniunctae.

1. Praep. Ab.

a) Regio, unde persona aut res profecta est, intellegitur, sive enuntiati verbum particulae iniunctum apparet, sive deest.

α) Pr. IV 10, 41 'genus hic Brenno iactabat ab ipso'. Ov. Fast. IV 305

'Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto'.

Pr. IV 6, 37 'o longa mundi servator ab Alba'. Verg. Geo. III 2 'Pastor ab Amphryso'. Ov. Met. IX 136 'Victor ab Oechalia'. Cat. 81, 3 'iste a sede Pisauri Hospes'. Pr. IV 9, 9

'Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro'.

Oratione eleganter formata expressit poeta relabentem ab ore potum vs. II 17, 6

'Ut liquor arenti fallat ab ore sitim'.

(Tib. I 3, 78 'poturi deserit unda sitim'.)

ubi res vix postulabat, ut Hertzb. ad exempla graeca confugeret. Nam haec breviloquentia invenitur his locis: Hor. IV 4, 14 'caprea pascuis Intenta . . matris ab ubere . . leonem . . vidit'. Verg. Aen. I 160 'insula portum Efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur . . unda'. Geo. II 243.

Simillimam alteri structuram verbum fallendi exhibet loco tractato p. 37. Deinde in talium enuntiati formularum numero habendi sunt versus, de quibus disserui p. 34 et 43 et p. 45. Denique de duobus locis, qui, si praepositionem 'a' docti recte reposuerunt, illis exemplis adnumerandi sunt, disputavi p. 41 et 42.

β) Universa res ab extrema, qua incipit, parte describitur: III 25, 13 'Vellere tum cupias albos a stirpe capillos'. Tib. I 8, 45 'Tollere tum cura est albos a stirpe capillos'. Verg. Geo. I 20 'teneram ab radice ferens . . cupressum'. 319. Alia exstant ap. Hand. I 24.

γ) Intercedente 'a' vocula verba iudicandi et nominandi cum substantivo copulantur. Pr. III 3, 38 'Ut reor a facie, Calliopeia fuit'. Ov. Tr. IV 6, 39 'nostroque a cor-

pore quantum Auguror'. Verg. IX 235 'neve haec nostris spectentur ab annis'. ubi Ladewig. hanc rem Vergilio soli iniuria attribuit. Etenim compara Ov. Met. XIV 323 'fictaque probes ab imagine veram'. Her. II 86 'ab eventu facta notanda putat'. Pan. Mess. 3 'a meritis si carmina laudes, Deficiant'.

Pr. IV 7, 75 'Latris, cui nomen ab usust'. 2, 48 'Nomen ab eventu . . dedit'. 4, 93.

b) Maxime omnium poetarum Ovid. et Prop. praepositione 'a' pro simplici ablativo usi sunt. Vs. III 25, 5

'Nil moveor lacrimis: ista sum captus ab arte'.

Heimreich.[1]), quod qui lacrimis non permoveretur, eum ne arte quidem capi posse diceret, 'cautus' pro 'captus' scriptum voluit. At ille et qui coniecturam recepit, Baehrens, vix meminerunt, illud 'sum captus' germanice non ich bin gefangen, sed ich bin gefangen worden exprimendum esse. Ov. Am. II 12, 4 'Servabant, ne qua posset ab arte capi'. Tr. II 462 'Qua nuptae possint fallere ab arte viros'.

Pr. III 11, 24 'currus . . tacto stringere ab axe latus'. IV 9, 24 'Lucus ab umbroso fecerat orbe nemus', ubi poeta non maiore licentia, quam vs. IV 8, 84 verba struxit, siquidem praepositio ab Italis et Hauptio recte reposita est. Nam quia codices eam non tradunt, alii aliud scripserunt, cum Haupt. haec legi voluerit: 'Suffit, et a pura limina tergit aqua'. Pr. II 27, 11

'Solus amans novit quando periturus et a qua Morte'.

Val. Flacc. VII 484 'me .. morituram patris ab ira Dissimulas?' Ov. Tr. IV 5, 3 'Cuius ab adloquiis anima . . revixit'.

Pr. IV 3, 99 'Quae tellus sit . . putris ab aestu'. I 16, 14 'Supplicis a longis tristior excubiis', quo loco Hertzb. et Mueller comparativo commoti, voculam 'a' interiectionem interpretati sunt. Sed ego propter eam ipsam causam praepositionem agnosci malim, quoniam haec testimonia persuadent. Pr. IV 1, 126 'Murus ab ingenio notior ille tuo'. Ov. Ex P. III 1, 51 'Notior . . a fulminis ictu'. I 2, 54

---

[1]) Heimreich, Symb. phil. Bonn. 1867. p. 673.

'Peior ab admonitu fit status'. Tr. II 255 'carmine ab omni . . doctior'. II 28 'Fiat ab ingenio mollior ira'.

Denique causalis notio invenitur vs. III 25, 6

'Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles'.

i. e. aus Falschheit. Nulla necessitate cogente Baehrens 'ad insidias' scripsit.

c) III 1, 24 'Maius ab exequiis nomen in ora venit'. i. e. von — her, nach. Ov. Tr. IV 10, 122 'Nomen ab exequiis quod dare fama solet'. Ex P. III 4, 73 'Scripta placent a morte'. Pr. IV 4, 5 'quo dulcis ab aestu Fistula poturas ire iubebat oves'. Ov. Met. XIV 352 'Ut primum valido mentem collegit ab aestu'. VI 63 'Qualis ab imbre solet . . arcus Inficere . . caelum'. IV 329 'ab his tacuit'. XII 578 'A sermone senis . . Surrexere'.

d) Apud Prop. I 13, 24

'Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit ab (codd. in) Oetaeis gaudia prima iugis'.

Hauptius et Mueller sententiam Schraderi secuti pro 'iugis' receperunt 'rogis', quam emendationem ab iis, qui corrigere studerent poetam ipsum, probatam esse Lachm. dixit. Ne me quidem illis criticis assentiri quidquam cogit, quoniam Herculis animus Oetae iuga relinquit eodem modo atque dictator aratrum ap. Ov. Fast. III 781 'Et caperet fasces a curvo consul aratro'. Itaque scriptores prosaici illam sententiam his verbis notassent 'iugis relictis H. gaudia prima sensit'. Praeterea compares velim alia testimonia p. 39.

Lectionem 'in' traditam Scaliger vocula 'ab' prospere commutavit neque Hertzb. ceteris editoribus Herculem in Oeta ipsa Heben in matrimonium duxisse[1]) persuasit. Ne Rossbergii[1]) coniectura 'in aethereis iugis' probabilis est. Nam praeterquam quod sententia duas voces 'caelestem' et 'aethereis' vix patitur, poeta id egisse mihi videtur, ne illustrissimum illud praemium a magnis Herculis laboribus separaret.

---

[1]) Rossberg, Lucubrat. Pr. 1877. Stad. Progr. p. 9. Ibi exstant testimonia de Herculis connubio graeca.

Illud Scaligeri consilium si tibi placet, ne alió quidem loco IV 10, 18 praepositionem reicies. Namque codd. Neap. Flor. Dav. exhibent lectionem 'aporco', cum cod. Vat. et Flor. 2 man. haec tradant:

'Urbis virtutisque parens sic vincere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra lare'.

Rectissime igitur Jacobus[1]) facillimam emendationem 'a parco' a Baehrente solo receptam proposuit. Enimvero quid valeat illud 'aprico lare', vix intellegitur, cum retenta elocutione 'a parco' victoriae Romuli, quod sentiam, modestae contentaeque vitae praeclare opponantur voculaque 'a' relicta sedes indicetur eadem ratione atque in vs. 'Sensit ab Oetaeis gaudia prima iugis'.

e) Reliquum est, ut exponam de vs. I 12, 19

'Mi neque amare aliam neque ab hac desistere fast est'.

Cum codd. Neap. et Voss. 'dissistere' verbum, cuius veram formam 'desistere' servavit cod. Flor., tradiderint, persuasum habeo, librorum Vat. et Dav. scripturam 'discedere' ab Hauptio Vahlenoque receptam levi momento aestimandam esse. Huc accedit, ut Prop. verbo 'desistere' usus sit in simili sententia II 20, 36

'Hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
Nec cito desisto nec temere incipio'.

atque illius verbi structura offeratur ap. Plaut. Men. V 2, 27 'ille abs te iratus destitit?'

2. De.

a) Pr. III 9, 1 'Maecenas eques Etrusco de sanguine regum'. II 7, 14 'Nullus de nostro sanguine miles erit'.

b) Ordo, in quo quis reponendus est, significatur vs. II 24, 30 'Iam tibi de timidis iste protervus erit'. Ov. Am. III 3, 46 'Et non de tetricis dicerer esse deus'. Fast. V 351 'non est de magna professis'.

c) Pr. II 29, 17 'Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores'. I 5, 26 'Quam cito de tanto nomine rumor eris'. quo ex enuntiato praeclare cognoscitur, qua ratione praepositio causam indicare coeperit:

[1]) Fr. Jacobs, Philol. II p. 452.

d) IV 11, 81 'noctes, quas de me . . fatiges'. II 20, 3 'Quidve mea de fraude deos . . fatigas?'

Formula 'de nihilo' inter aevi Augustei poetas nemo usus est nisi Prop.: II 3, 16 'Non sum de nihilo blandus amator'. II 1, 16; 16, 52.

e) Lexicographi velim meminerint structurae verborum vs. IV 10, 2 'Arma . . de ducibus . . recepta'. Cfr. Ov. Met. VIII 835. Pr. I 3, 26 'munera de . . voluta sinu'. Cat. 68, 59. Elocutio 'de more' sese offert II 3, 13 'de m. comae . . fluentes'.

3. Praepositio E.

a) Praegnantibus, quae vocantur, structuris sermonis Propertiani adiungantur hae: II 12, 10

'Et pharetra ex umero Gnosia utroque iacet'.

i. e. d. K. von beiden Sch. herab (hangend).

Quibus simillima Statius et Ovidius struxerunt verba in Silv. III 4, 30 'sed non erat illi

Arcus et ex umeris nullae fulgentibus umbrae'.

et in Met. vs. XV 829 'Quid . . gentes ab utroque iacentes Oceano numerem?'

In eandem dicendi consuetudinem cadunt loci Pr IV 6, 40

'Et favet ex umeris hoc onus omne meis'.

10, 11 'Hic spolia ex umeris ausus sperare Quirini'.

III 7, 14 'Quae spolia ex illo tanta fuere tibi?'

Quamquam elocutio 'invenire ex aliquo' idem valet atque sciscitari ex alqo' (Ov. Tr. V 446. Caes. b. g. II 4, 16), tamen hanc vim 'ex' voculae attribuere vetamur vs. Pr. I 4, 27

'maneat sic semper, adoro,
Nec quicquam ex illa, quod querar, inveniam'.

Poeta enim omni asseveratione amico affirmat sese a Cynthia diligi atque carum haberi. Atqui si exeunte carmine optat, ut puellae erga se amor assiduus sit, nonne elucet, amatorem in eodem enuntiato deprecari, ne quod queratur, in puella experiatur? Quae cum ita sint, verba 'ex illa' respondent nostro von jener her, an jener. Cfr. Ov. Am. II 5, 54

'Torqueor infelix, ne tam bona senserit alter,
Et volo non ex hac illa fuisse nota'.

Ex P. IV 10, 77 'Est tamen ex illo nobis imitabile quiddam'.

b) Excepto dolendi verbo scriptores 'ex' particulam cum nomine personali perraro coniunxerunt neque alio testimonio confirmare mihi licet, quod legitur ap. Pr. II 1, 50

'solet illa leves culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada'.

c) Formula 'ex omni' (me premit iste deus III 21, 6) non magis alterius poetae loco comprobatur, quam illud Ovidii 'ex toto' in Her. XV 158.

Elocutio 'ex illo' tempus indicans apparet ap. Pr. II 29, 42 et ap. Ov. Met. III 394. Her. XIV 85 et ap. Verg. XII 32. Alios locos collegit Hand. II 649.

4. Particula 'prae' codicibus tradita a Baehrente ac Vahleno (cfr. l. c. p. 344) summo iure restituta est vs. II 28, 10

'Prae se formosis invidiosa deast'.

C. Praepositiones cum accusativo et ablativo coniunctae.

1. De particula 'in' accusativum secum habenti.

a) Motionis verbum suppressum est: III 9, 60 'a test,

Quod ferar in partes ipse fuisse tuas'.

ubi a Faltinio (Zur Pr.-Kritik 1876 p. 12) 'ruisse' propositum esse mirari licet. Nam eadem structura offertur v. IV 5, 48 'si pulset inanis,

Surdus in obductam somniet usque seram'.

i. e. inclinatus in seram somniet. Cfr. Ter. Haut. II 3, 101 'In aurem utramvis dormias'. Iuv. III 280 'cubat in faciem'. Ov. Her. XII 63 'in ora iacentem Invenit'. Fast. IV 564. Art. am. III 788. Alia exempla vd. ap. Draeger. I p. 660.

b) Mutatae rei forma conspicitur: III 22, 14 'In faciem prorae pinus adacta novae'. IV 6, 25 'acies geminos Nereus lunarat in arcus'. Ov. Met. XI 229. Her. II 131. Verg. Aen. III 533. Geo. II 448. Prop. II 22, 21 'exiles videor tenuatus in artus'. Ov. Met. XV 551. De vs. IV 11, 82 Hertzb. fusius exposuit. Prop. IV 6, 30

'Adstitit Augusti puppim super et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem'.

ubi, quoniam verisimile est poetam imitatum esse Vergil. vs. VIII 680

'Stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt patriumque aperitur vertice sidus'.

via flammae in obliquam facem ter sinuatae lineis trianguli describi mihi videtur.

Pr. IV 3, 48 'in glaciem frigore nectit aquas'. Verg. Geo. III 365 'in glaciem vertere lacunae'. Tib. IV 1, 156 'unda riget densam in glaciem'.

c) 'In' praepositio intercedit inter personas vel res, quarum altera alterius actione sive conditione tangitur: II 22, 13 'cur sim tam mollis in omnes'. III 16, 6 'audaces in mea membra manus'. 17, 24 'Pentheos in triplices funera grata greges'. IV 1, 84 'Et grave Saturni sidus in omne caput'.

Ov. Fast. III 316 'arbitrium est in sua tela Iovis'. Am. I 1, 5. Hor. III 1, 6 'Reges in ipsos imperium est Iovis'. Prop. III 10, 18

'Inque meum semper stent tua regna caput'.

i. e. gegen, über.

22, 31 'Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes'. i. e. wider d. Leben. Cfr. Ov. Fast. V 305 'Respice Thestiaden; flammis absentibus arsit'. Met. VIII 515.

d) Digna, quae commemorentur, sunt haec verba voculam 'in' et accusativum secum habentia: II 24, 31

'Qui nunc se in tumidum iactando venit honorem'.

Cfr. III 11, 17

'Omphale in tantum formae processit honorem'

IV 6, 82 'Differat in pueros ista tropaea suos'.

III 1, 13 'in me certatis'. IV 5, 67 'animam in tegetes putrem expirare paternas'. Cfr. Ov. Met. V 106.

Verbum apponendi cum particula 'in' et accusativo a Propertio copulatum esse Hand., Draeger lexicographique putaverunt. At in illo vs. II 9, 12 'Et dominum lavit . . Adpositum flavis in Simoenta vadis'. dativum a verbo 'Adpositum' pendere atque praepositione locum accuratius notari demonstrabit vs. Ov. Met. XV 133 'Imponique suae

videt inter cornua fronti .. fruges'. Itaque sententiae Propertianae conformatio esse videtur 'Adpositum flavis vadis (ita ut corporis pars proiecta sit) in Simoenta'. De talis modi structuris vd. p. 39.

Praegnantem, quae dicitur, sententiam habere existimo verbum vs. II 6, 18 'Frangere in adversum pocula Pirithoum'. i. e. fracta iacere.

2. Praepositio 'in' ablativo iniuncta a poetis adhibebatur

a) ad describendum hominem vestimentis vel armis indutum. Pr. II 31, 16 'in longa carmina veste sonat'. Ov. Art. am. II 297. Verg. Aen. IV 518. XII 169.

Pr. IV 1, 27 'miles radiabat in armis'. 2, 27 'laudabar in illis (armis)'. Verg. VI 826. Ov. Tr. IV 6, 33. Pr. IV 2, 38 'ibo Mundus demissis institor in tunicis'. Verg. IX 269 'ibat in armis Aureus'. Cat. 68, 134 'Fulgebat .. candidus in tunica'. Pr. III 29, 26 'ostrina cum fuit in tunica'.

Idem sicut scripsit III 14, 10 'Missile .. disci pondus .. rotat', ita ad gravitatem rei proponendam voce 'pondus' usus est IV 2, 28

'Corbis in imposito pondere messor eram'.

Cfr. Ov. Met. VIII 26 'In galea formosus erat'.

b) De quaestione, num particula 'in' loci propinquitatem possit significare, contentio exstat inter grammaticos, quorum Draeger (I 648) sententiam Handii (III 250), nonnullis Propertii (et Taciti) locis istam rem conspici, frustra oppugnavit. Iam Lachm. (p. 148), ut probaret ablativum solum indicare propinquitatem, laudaverat illud Hor. Sat. II 3, 292 'nudus in Tiberi stabit' i. e. am T., quia sequitur 'necabit in gelida fixum ripa'. Itaque fieri potest, ut raram pro vulgari significationem substituamus in Pr. versibus I 1, 11 'errabat in antris' et I 2, 11 'Surgat et in solis .. arbutus antris'. Atque etiam probabilis erit haec coniectura, si illud Pr. III 18, 10 'Errat et in vestro spiritus ille lacu'. comparabitur cum vs. Tib. I 10, 38 'Errat ad obscuros pallida turba lacus'.

At loci propinquitas agnoscatur necesse est vs. Pr. I 3, 6 'Edonis fessa choreis Qualis in herboso concidit Apidano'.

Quem dicendi usum alios scriptores secutos esse contendo nisus his testimoniis. Verg. Ecl. VII 66

'Populus in fluviis, abies in montibus altis'.

Stat. Silv. I 2, 68 'Vidi ego .. decurrere campo
Hippomenem, nec sic meta pallebat in ipsa'.

Denique Flori II 24, 3 exemplum repperi 'caesi sunt in utrisque fluminibus'. Ergo mihi exploratum est, Horatium, Verg. Stat. semel, Propertium, si non quater, at certe bis ('in lacu' atque 'in Apidano') praepositioni propinquitatis significandae potestatem dedisse.

c) Quae quis sentit sive agit, intercedente 'in' vocula ad alteram personam vel rem referri videmus: Pr. III 8, 34 'in te pax mihi nulla placet'. Pr. II 20, 11

'In te ego et auratas rumpam .. catenas'. I 1, 33
'In me .. Venus noctes exercet amaras'. III 22, 35
'Cornua .. curvare in pelice'.

Qua ratione particula 'in' praecipue adiectiva sequitur: Pr. III 19, 28 'aequus in hoste'. Ov. Tr. V 2, 36 'lenis in h.' Am. I 7, 34 'saevus in h.' Verg. Aen. II 541 'talis in h.' Ov. Met. IV 547 'in paelice saevus'. Lyg. VI 19 'torvus Liber in illis'. Prop. III 17, 23 'Vesanumque nova .. in vite Lycurgum'.

Maior autem vis in praepositione inesse putanda est, si ab homine vel re proficiscitur effectus, qui alterius animum permoveat. Huc revocanda sunt verba gaudendi atque amandi. Pr. II 4, 18 'Gaudeat in puero'. III 1, 40 'Gaudeat in solito tacta puella sono'. IV 8, 63. Cat. 64, 119 'in gnata .. laetabatur'. 22, 17 'Tam gaudet in se tamque se ipse miratur'.

Verba amandi Handius (III 268) male iudicavit particulam 'in' idcirco sibi adsumere, quod in amata amator quasi habitaret in eaque omnia ageret. Quam interpretationem si sequeremur, quo modo ablativum solum iisdem verbis iniunctum explicare liceret? Nihil interest illud Ov. Her. I 14

'In te fingebam violentos Troas ituros.
Nomine in Hectoreo pallida semper eram'.

ab elocutione vs. Art. am. I 732

'Pallidus in lenta naide Daphnis erat'.

Nam in utroque enuntiato animus commovetur nomine, tantum quod in altero exemplo haec conditio permanet.

Pr. III 8, 28 'Semper in irata pallidus esse velim' i. e. an, bei, wegen. Ov. Am. III 6, 25. II 1, 5 'Me legat in sponsi facie non frigida virgo'. II 7, 9 'in te quoque frigidus esse'. Pr. I 13, 7 'Perditus in quadam'. 9, 34 'Dicere, quo pereas saepe in amore levat'. ubi Muelleri 'qua' emendatio ea de causa inutilis fuisse apparet, quod vox 'amor', ut fieri solet, pro 'amata' usurpata est.

Ov. Met. IX 725 'ardetque in virgine virgo'. Cat. 64, 98 'puellam . . in flavo saepe hospite suspirantem'. Alia vd. ap. Hand. III 268.

Haec denique 'in' particulae vis, in qua constare videtur causalis notio, offertur: vs. Pr. III 12, 15

'Ter quater in casta felix o Postume Galla'.

Cfr. Ov. Tr. V 5, 21 'non est in caro coniuge felix'.

Pr. II 8, 36 'Tantus in erepto saevit amore dolor'.

Ov. Am. I 9, 33 'Ardet in abducta Briseide magnus Achilles'.

Pr. II 18, 2 'Frangitur in tacito femina saepe viro'.

3. De praepositione 'sub' copulata cum accusativo. Hertzbergius cum vs. Pr. III 9, 52

'Crescet et ingenium sub tua iussa meum'.

instrueret hac interpretatione 'si sub tuum imperium i. e. tui imperii tempora carmine perventum foret, spiritus novos et maiores ingenium meum sumpturum esset' praeter alia non meminit, poetam Maecenate duce (vs. 43) carmina condere velle. Et illa iussa accipienda esse singula Maecenatis praecepta docet etiam illud Verg. Geo. III 41

'Interea Dryadum silvas saltusque sequamur
Intactos, tua, Maecenas, haud mollia iussa'.

Itaque argumentum enuntiati Propertiani hoc modo explicandum est: 'Crescet ingenium ita, ut subeat iussa tua i. e. ut paulatim satisfaciat iussis tuis'. Eadem 'sub' voculae significatio, quae rem paulatim extendi arguit, inest in verbis Cat. 64, 271

'Aurora exoriente vagi sub limina solis'.

atque Hor. Sat. II 1, 35 'arat finem sub utrumque colonus'.

4. Praepositione 'sub' cum ablativo coniuncta locum inferiorem, qui totus sive ex aliqua parte circumdatus est altis rebus, significari, inter omnes fere constat neque intellegitur, quid sibi velit Kiesslingii sententia, Horatium 'sub antro' (Prop. II 32, 39. 'Sub aula' IV 5, 55. 'Sub pectore' I 15, 31) scribentem tectum antri respexisse. Nam si res ita se haberet, quo modo 'sub valle' (Tib. II 3, 19. Ov. Fast. IV 427. Met. XI 277) aliasque quas mox afferam, elocutiones explicare possemus?

Madvigius[1]) autem, quamvis dictionis 'sub valle' mentionem fecerit, tamen voculam 'sub' impugnavit vs. III 9, 36

'Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra morast'.

Atqui Propertius 'in arundine' i. e. unten im Röhricht scripsit II 27, 13

'Iam licet et Stygia sedeat sub arundine remex'.

Cfr. Ov. Met. VIII 337 'tenet ima lacunae . . . et longa parvae sub arundine cannae'.

Ergo nequaquam miror poetam 'sub flumine' i. e. unten im Fluss elocutioni 'in flumine' ideo praetulisse, ut altas describeret ripas, quae navigium a periculosis ventis defenderent. Cfr. Prop. II 4, 19

'Tranquillo tuta descendis flumine cymba'.

Quae si tibi videntur, neque Lachmanni verba 'cum pars navigii sub aqua sit' neque aliorum coniecturas ('flamine' Madv. 'Tota sed' Baehr.) magni aestimabis.

Eadem praepositio germanice exprimenda est 'unten an' in his exemplis III 2, 5 'sub Aetna . . flexit equos'. I 20, 33 'sub vertice montis . . domus'. Ov. Trist. I 3, 19

'Nata procul Libycis aberat . . sub oris'.

Am. III 5, 43 'adverso maculae sub pectore nigrae'. (Cfr. eiusdem elegiae vs. 26 'niger in vaccae pectore livor erat'.)

---

[1]) Madvig, Advers. crit. II p. 65.

Iam supra vocula 'in' loci propinquitatem indicari vidimus. Quae utrum in elocutione 'in limine' (I 16, 22. 4, 22. 8, 22) intellegatur, necne, haud continuo diiudicari potest. At probabilis fiet illa coniectura, si comparabuntur hi loci III 3, 47

'Quippe coronatos alienum ad limen amantes . . canes'. Tib. II 1, 74 'dicere iussit Limen ad iratae verba . . senem'.

Itaque non dubium est, quin poeta ratione superioris loci habita 'sub limine' (unten an) scripserit II 25, 17

'At nullo dominae teritur sub limine amor qui
Restat et inmerita sustinet aure minas'.

Quodsi quaeris, ubi superior locus, quem poetae oculis obversatum esse affirmavi, fuerit, haud difficile est respondere. Nam Prop. aut superius ostium in animo habuit, aut domus fenestram, ex qua puella cum amatore collocuta est. Cfr. Hor. III 7, 30 'neque in vias Sub cantu querulae despice tibiae'.

Adiungo elocutionem 'terere aliquem' lexicis testibus comprobari sermone Liviano atque relativum pronomen, in quo quidam offenderunt, in versus exitu ab Ovidio saepius positum esse, quam ut eiusmodi testimonia adscribam oporteat.

Quae cum ita sint, concedes versum, de quo agitur, frustra vexatum coniecturis ('molimine' Davis. Muell. 'sub crimine' Langerm. Baehr.) neque merito cruce notatum esse ab Hauptio Vahlenoque.

Haud multum habeo, quod dicam de his exemplis: IV 5, 60 'rosaria Sub . cocta iacere noto' i. e. unter d. Wirkg. des N. II 28, 35 'Deficiunt magico torti sub carmine rhombi' i. e. während des L. Cfr. Hor. III 7, 30 'Sub cantu . . despice'. Pr. IV 7, 35 'Haec . . mecum sub lite peregit'. Cfr. Verg. Aen. IV 560 'potes hoc sub casu ducere somnos?'

Caput III.

De adverbiis.

1. Adverbium 'ante' poeta adhibuit ad significandum locum vs. III 16, 16 'accensas percutit ante faces'. Cfr. Ov. Art. am. I 544 'Vix sedet, et pressas continet ante iubas'. Met. VIII 213 'pennisque levatus Ante volat'. Alia Tibulli et Verg. adnotavit Hand. I 366.

2. Consecutionem 'primo — dehinc (post haec)' noster praebet II 3, 49, cui elocutioni Sallust. et Verg. Ge. III 166 'primum — dehinc' praetulerunt. Pleonasmum Propertii comparo cum similibus formulis 'post hinc' (ap. Verg. Ge. III 300. Aen. VIII 546) atque 'mox deinde' (ap. Tib. I 5, 73. Ov. Met. IX 143. Iuv. III 280).

Verba 'deinde ubi' coniuncta offeruntur vs. II 13, 31; 16, 9; 23, 7. De dictione 'mox ubi' vd. p. 31.

3. 'Magis' adverbium poetae cum ablativo substantivi comparati interdum composuerunt neque commoveor sententia Faltinii (l. c. p. 25), qui ap. Pr. I 1, 22

'Et facite illa meo palleat ore magis'.

ablativum causalem esse accipiendum censuit. Cfr. Cat. 64, 100 'magis fulgore expalluit auri'. Ov. Ex P. IV 14, 35.

Paulo exquisitius est, quod Prop. scripsit vs. II 3, 53

'Quem non lucra, magis Pero formosa coegit'.

Cfr. Cat. 68, 30 'Id . . non est turpe, magis miserumst'.

4. Propertium enuntiati formula 'modo — et' usum elocutionem graecam ποτὲ μὲν — καὶ imitatum esse interpretibus satis visum est affirmare neque quisquam nostri testimonio aut alius poetae fulsit locum I 1, 11

'Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat et hirsutas ille videre feras'.

Sed eadem ratione dixit Prop. vs. II 24, 11

'Et modo pavonis caudae flabella superbae
Et manibus dura frigus habere pila

Et cupit iratum talos me poscere eburnos
Quaeque nitent sacra vilia dona via'.

Praeter principem elegiae nemo, quod sciam, illam loquendi consuetudinem secutus est nisi Ovidius, qui habet in Fast. I 135 'Omnia tunc florent . .

Et modo . . operitur frondibus arbor,
Prodit et in summum seminis herba solum;
Et tepidum volucres . . aëra mulcent,
Ludit et in pratis luxuriatque pecus'.

Nam compares velim cum hoc versu, quod idem dicit in Fast. IV 127 'Vere nitent terrae . . Nunc herbae . . cacumina tollunt: Nunc gemmas . . palmes agit'.

Neque solum in sequentibus membris voculam 'modo' cogitatione addi uterque poeta iussit, verum in antecedentibus etiam enuntiati partibus. Locus Ov. Tr. II 150

'Ac veluti ventis agitantibus aëra non est
Aequalis rabies continuusque furor,
Sed modo subsidunt intermissique silescunt'.

non habet, quia tota sententia suppleatur oportet, tantum pondus, quantum eiusdem poetae versus Tr. II 528

'Sic madidos siccat digitis Venus uda capillos,
Et modo maternis tecta videtur aquis'.

Ad hoc exemplum exigendam esse arbitror structuram enuntiati Prop. I 11, 1

'Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
Qua iacet Herculeis semita litoribus,
Et modo te Protei mirantem subdita regno
Proxima Misenis aequora . . . Nostri cura subit?'

Etenim quod verba 'mediis cessantem Baiis' opposita sunt vocibus 'mirantem proxima Misenis aequora', concedes, auxilio figurae *ἀπὸ κοινοῦ* adverbium 'modo' attrahendum ad participium 'cessantem' neque probandam esse sententiam Handii (III 642), qui voculam 'modo' germanice eben, gerade reddidit.

Eandem loquendi subtilitatem repperi vs. III 14, 9

'Nunc ligat . . bracchia . . Missile nunc disci . . rotat,
Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,

Virgineumque cavo protegit aere caput,
Qualis Amazonidum . . bellica . . turba lavatur aquis,
Et modo Taygeti . . Sectatur patrios per iuga . . canes'.

ubi, voce 'modo' in sententiis 'Gyrum pulsat' et 'latus revincit' suppleta, enuntiatum Qualis sqq., cum praesertim propter verbum 'lavatur' praecedentis versus argumentum omnibus partibus non illustret, parenthesi includendum est.

Qua ex quaestione quid 'modo' particula semel posita sibi velit, cognoveris neque assentieris Kuttnero, qui eam ad explendum versum a poeta adhibitam esse existimavit.

Vicissitudinem particularum 'Et modo — modo — nunc' Draeger praetermisit: Pr. I 3, 21. Ov. Met. VI 663. X 187. Alia adverbiorum varietate insigne est enuntiatum I 3, 41 'modo — rursus et — interdum', quod Draeger omissa 'interdum' voce non accurate laudavit.

Idem, quia Handius non attulerat exempla, commotus esse mihi videtur, ut consecutionem 'modo — interdum' nemini nisi Sallustio Horatioque concederet. At praeter illos scriptores hac formula et Prop. usus est II 15, 5 'Nam modo . . mecum est luctata . . Interdum . . duxit . . moram' et Ovid. Met. II 189 'Et modo . . . Prospicit occasus, interdum respicit ortus'. Has voculas idem poeta vertit Tr. II 269.

5. Elegantiam orationis poeticae, quae observatur vs. II 25, 16

'teritur rubigine mucro Ferreus et parvo saepe liquore silex'.

Kuttner (p. 60) cognovit quidem, sed rationem exponere non studuit. Simillime autem noster locutus est I 3, 44

'Interdum leviter mecum deserta querebar
Externo longas saepe in amore moras'.

quo loco, cum Cynthia non tam 'longas saepe moras', quam 'moras ipsas' graviter ferat, figura a grammaticis ὑφέν vocata adhibita est. Cuiusmodi locos, e quibus depromo illud Cic. de nat. d. II 66 'ipsorum deorum saepe (oftmalige) praesentiae' Draeger I p. 631 collegit.

6. Tertium, ubi poetam adverbium pro adiectivo usurpasse agnosces, exemplum exstat I 22, 2

'Quaeris pro nostra semper amicitia'.

qui locus Kuttnero quippe interpreti nihil explicanti audacter constructus esse videtur. Ad quaerendi verbum particula 'semper', cum immodesti hominis sit responso non dato efficere, ut semel atque iterum interroget amicus, revocari non potest. Atqui Propertius scripsit I 20, 1

'Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore'.

Quis ergo dubitet, quin idem altero loco 'semper' pro voce 'continua' posuerit? Neque hi scriptores maiorem illam vim 'semper' adverbio attribuere abnuerunt: Terentius in Andr. I 2, 4 'et heri semper lenitas Verebar quorsum evaderet'. Cicer. Phil. VII 4 'En ego pacis semper laudator'.

Quae copulatio liberior cum a scriptoribus Graecos imitantibus raro usurpata sit, vocula 'semper' cum participio praesentis vel adiectivo coniuncta persaepe offertur neque Kuttnerum oportuit iudicare, Scaligerum, Passeratium aliosque interpretes 'de illa compositione somniasse'. Ne Hertzb. quidem imprŏbavit illorum iudicium; tamen vs. I 16, 47

'Sic ego nunc dominae vitiis et semper amantis
Fletibus aeterna differor invidia'.

voces 'semper — differor' ab eo coniunctas esse Mueller iam miratus est. Sed quantopere illi structurae poetae faverint, ex his exemplis cognoscere licebit. Ov. Met. VIII 295 'Bacaque cum ramis semper frondentis olivae'. VII 702. XI 147. Verg. Ge. II 119. Aen. III 496. Hor. II 8, 15. Iuv. VI 108. XIV 118. Priap. 51, 16.

Adiectivo particulam 'semper' iniunctam videmus: I 20, 11

'Nympharum semper cupidas defende rapinas'. IV 5, 6

'Concordique toro pessima semper avis'. Ov. Fast. IV 686. Am. III 12, 1. Verg. XI 732. Ge. I 234.

Pleonasmus 'semper solere' invenitur ap. Prop. II 25, 31. III 25, 6. Mart. V 14, 1. Priap. 12, 12. Ov. Fast. III 498 'adsuevi semper'.

Neque vero Propertio ignosci posset, si pleonasmum

vulgo — semper' admisisset. At Hertzbergii de hac re opinio perversa est. Namque in illo enuntiato II 16, 26

'Non quia peccaris (testor te), sed quia vulgo
Formosis levitas semper amica fuit'.

vocabulum 'vulgo' habet eandem sententiam atque in enuntiato I 2, 23 'Non illis studium vulgo (i. e. in plebe) conquirere amantes'.

7. Lachmannus, cum versum II 25, 33

'Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento'.

exornaret interpretatione 'putidum, quod quamvis saepe a puella vocetur, semel tantum neque amplius ire iubetur. Immo si fieri possit, prorsus ne eat, caveat. Repone timeto' de sermone poetico non minus nimis severe iudicasse mihi videtur, quam qui eius consilium secuti sunt, Vahlenus et Baehrens. Namque poeta aemulum nequaquam monet, ut, dum amet atque ametur, ad puellam semel eat, sed ei suadet, ut, quotiescunque eius domi fuerit, precibus neglectis, longiore intervallo illam conveniat. Propertius igitur, ut ita dicam, talem agendi rationem inimico commendat, qualem ab amica observari ipse queritur III 21, 7

'Vix tamen aut semel admittit, cum saepe negarit'.

Hic quoque non dubium est, quin poeta saepius, quam semel, toto amoris tempore admissus sit eaque de causa vocula 'semel' pertineat ad certum temporis spatium, quo puella, quamquam saepe recusavit, tamen amatorem voti compotem semel fecit.

Itaque utroque loco comparato elucet, illam sententiae formulam nostri propriam neque codicum auctoritatem minoris aestimandam esse, quam criticorum consilia emendandi (Lachm. 'timeto', Baehr. 'negato', Vahl. 'sepelire memento').

Iam ante me Hertzb. textum defendere studuit neque quidquam, praesertim cum alterum effugisset eum exemplum, profecit. Nec vero non levioris momenti eius verba sunt, quibus Lachmannum docuit de versu I 13, 33

'Tu vero, quoniam semel es periturus amore, Utere'.

Nam quid nobis prodest inter cetera scire, Propertium IV 11, 3 elocutione 'quum semel' usum fuisse? Sed Lach-

manni sententiam, Latinos nusquam dixisse 'quoniam semel', refutabunt haec testimonia. Ov. Tr. III 8, 41

'At quoniam semel est odio civiliter usus,
Mutato levior sit fuga nostra loco'. Her. XII 13
'Aut semel in nostras quoniam nova puppis harenas
Venerat . . Isset . . in ignes'.

8. De versibus I 21, 5 etqs. quamquam multa disputata sunt, tamen, quicunque eorum argumentum dispicere studet, desperabit. Lectio codicum est haec

'Sic te servato ut possint gaudere parentes,
Nec (ne) soror acta tuis sentiat e lacrimis:
Gallum per medios ereptum Caesaris enses
Effugere ignotas non potuisse manus,
Et quaecumque .. invenerit ossa .. haec sciat esse mea'.

Quae verba, si 'acta' non ad morientis mandata, sed res bello gestas referrentur, condicionem ut intellegi possent, habitura esse Lachmannus monuit. Cui quidem de notione 'acta' assentior. At sorori, quae horribilem militis calamitatem comperiet, nonne illas quoque res bello gestas audire licet? Huc accedit, ut, vetere scriptura 'nec' retenta, verbum renuntiandi quasi desideraretur neque tibi persuasum esset, Propertium particulam 'sic' cum imperativo futuri coniunxisse. Itaque cum Passeratio Baehrenteque voculam 'ut' deleo atque Beroaldi coniecturam 'haec' pro 'nec' restituo. Illud adiungo voces 'haec acta' eius animum, qui audit sive legit, ad sequentia attendere. Quae esse tristia soror e nuntii lacrimis sentire potest. Verum quia eis singulare mandati argumentum vix comperitur, verbum 'sciat' in posteriore sententiae membro collocatum ad priorem enuntiati partem revocari maluerim. De hac poetarum licentia (ἀπὸ κοινοῦ) dixi p. 51 et 52.

Iam in eo est, ut meas de Propertio quaestiones concludam. In vs. IV 4, 55 lectio codicis Neap.

'Sic, hospes, pariamne tua regina sub aula'.

ea de causa suo loco remota est, quia Lachm. particulam 'ne' sensum evertere neque vocem 'hospes' ad Tatium pertinere affirmaverat. Qui cum correxerit 'Si coniunx pa-

riamve', Hertzb. 'patriaeve', Vahlenus 'Si posces pariamne', Baehrens 'Sim compar patiare', Fleischm.[1]) 'Simque comes pariamque tua' aliique aliter scripserunt.

At omnes illi critici qua ratione particulas 'ne' aut 've' intellectas vellent, non docuerunt neque caverunt, ne nimia vis textui fieret.

Quae cum ita essent, aliam viam ingressus sum. Atque primum 'sic' adverbium ad praecedentes versus

'Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanae dura papilla lupae'.

ita spectare mihi videtur, ut sub eo sententia subicienda sit 'si tu Romuli locum obtines'. Qua cum interpretatione Fleischmannum[2]) nuperrime congruisse nunc iam licet adiungere.

Deinde enuntiatum, de quo agitur, in formam interrogationis redigo.[3])

Denique hospitis notio latius patet. Nam hospitio non respecto illa vox et a poetis (Prop. IV 1, 1. Hor. ep. VI 1. Cat. IV 1) et a scriptoribus titulorum in sepulcro incisorum[4]) usurpata est.

Atqui si Tatium, quippe qui ortus esset a peregrina gente, non convenerat sacerdos Tarpeia neque certe intellegebat, utrum ab eo amaretur, necne, fieri vix potuit, ut alio nomine uteretur. Praeterea poeta vocem 'hospes' ideo aliis fortasse anteposuit, quod Tarpeia, exspectatione desiderii expleta, perpetuo hospitio excepta esset. De hoc vocis usu nescio an nos docuerit Ovid. vs. Met. IV 639, ubi Perseus Atlantem, qui eum ignorat, nomine hospitis appellat et ab eo hospitium petit.

Quae nisi accipis, facillima mutatione 'sospes' scribas licet aut Ribbeckii sententiam probes. Qui mecum de in-

---

1) Cfr. Fleischmann, Wiener Studien 1888 p. 155.

2) Cfr. Fleischmann, Wiener Studien 1888 p. 154.

3) Vocula 'ne' tertiae enuntiati voci adhaeret ap. Prop. III 6, 12 'Ornabat niveas nullane gemma manus?' III 16, 5. Alios locos invenies ap. Hand. IV 76 et in Mergueti Lexic. Cicer.

4) Corp. Inscr. Lat. I 1006. 1007. 1027.

terrogationis signo versui dando consentit. At adverbio 'sic' pro nostra elocutione 'nur so' accepto vocem 'hospes' notioni 'regina' oppositam vult:

'Sic hospes (i. e. paelex), pariamne tua regina sub aula?
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at raptae ne sint impune Sabinae,
Me rape et alterna lege repende vices'.

Quae sententia confirmatur loco Ovid. Her. VII 167

'Si pudet uxoris, non nupta, sed hospita dicar
Dum tua sit Dido, quodlibet esse feret'.

Itaque elucet hoc quoque loco Prop. codicem Neapolitanum optimam praebere scripturam.

Vita.

Arnsbergae natus sum Adolfus Spandau a. d. XIV Cal. Jul. anni LX h. s., patre Henrico, matre Luisa, quam superstitem esse maxime gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Maturitatis testimonium in patriae gymnasio, quod nunc etiam floret directore Scherero bene de me merito, adeptus Monasterium, ut me darem philologicis et historicis studiis, me contuli. Postquam in illa academia unum annum audivi viros doctissimos: Lange, Stahl, Lindner, Storck, perrexi incumbere in litteras in universitate Berolinensi, ubi per tria semestria et scholas frequentavi illustrissimorum horum virorum: Huebner, Kirchhoff, Vahlen, Mommsen, Treitschke, Scherer, Zeller, et in Huebneri atque Vahleni societates philologas receptus sum. Inde universitatis Lipsiensis civis factus audivi per septem semestria hos doctissimos viros: Curtius, Lange, Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth, Maurenbrecher, Voigt, Wenck, Hildebrand, Zarncke, Heinze, Wundt, Richter. Exercitationibus philologis atque antiquariis ut per quinque semestria interessem, liberaliter concessere Lipsius et Ribbeckius atque benignitate Maurenbrecheri factum est, ut duo semestria seminarii historici sodalis essem.

Quibus viris optime de me meritis cum omnibus, tum Ribbeckio et Lipsio gratias ago quam maximas.